



Specimen historico-politicum inaugurale de institutionis procuratione ex antiquissimo jure publico in patria nostra

<https://hdl.handle.net/1874/325814>

SPECIMEN HISTORICO-POLITICUM INAUGURALE

DE

INSTITUTIONIS PROCURATIONE EX ANTIQUISSIMO
JURE PUBLICO IN PATRIA NOSTRA.

846891

SPECIMEN HISTORICO-POLITICUM INAUGURALE

DE

INSTITUTIONIS PROCURATIONE EX ANTIQUISSIMO
JURE PUBLICO IN PATRIA NOSTRA ,

QUBB ,

SUPREMO FAVENTE NUMINE ,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

BERNARDI FRANCISCI SUERMAN ,

M.D. DOCT. ET PROF. ORD ,

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU ,

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS JURIDICAE DECRETO ,

PRO GRADU DOCTORATUS ,

SUMMISQUE IN JURE ROMANO ET HODIERNO JURIBUS ET PRIVILEGIIS ,

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA

RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS ,

PUBLICO AC SOLENNI EXAMINI SUBMITTIT

HERMANNUS BOSSCHA ,

HAGANUS ,

AD DIEM XV M. MARTII MDCCXLVIII , HORA I .

AMSTELODAMI ,

APUD C. G. VAN DER POST.

MDCCXLVIII.

TYPIS J. ROERING,
Braeae Comitum.

VIRO CLARISSIMO

JOANNI BOSSCHA,

PHIL. THEOR. MAG. LITT. HUM. DOCT., EQUESTRI ORDINI LEONIS
NEERL. ADSCRIPTO, TERTIAE CLASSIS INSTITUTI
REGII BELGICI SOCIO

PATRI OPTIMO CARISSIMO

HERMANNUS FIL.

Etsi, qua meum erga Te animum significem,
nequaquam publica indigeam testificatione, tamen
quotiescumque illum diem cogitabam, quo, decursis
studiis Academicis, Summos Doctoratus Honores essem
consecuturus, tua semper mihi subibat imago et
paternum nomen omnium primum futuris solennibus
velut implicabam. Quodsi illud merito praecipuum
censem in postremo ritu Academico, ut quasi per
tabulas accepti et expensi studiorum nostrorum
rationes confiantur; profecto accepta referens tuum
nomen ut in prima Codicis cera ponam, non modo
suadet pietas, monet etiam religio. Eorum enim tem-

ANNALE PROSCRIBA

LATINI QVIQVE CENSERENTUR

porum memoriam repetens, quibus in auditorii tui
subselliis optima cujusque generis dicendi exempla ex
veterum scriptis, Te ipso suadente, peti licuit; qualis
ad suscipiendam et ingrediendam studiorum meorum
rationem princeps mihi atque dux extiteris, vix ver-
bis efferre possum. Quid de ceteris dicam disciplinis,
de historia praesertim, quibus omnibus a teneris un-
guiculis aut exemplo tuo aut institutione ita me infor-
mare studuisti, ut verear, ne hoc ipsum Specimen
meum aut sententiarum aut Latinitatis reum me faciat.

Utcunque hoc erit et etiamsi opus nostrum non
nisi professione pietatis fuerit laudatum, Tu certe,

Carissime Pater, hasce studiorum primitias non recusabis, ea, quae argumenti mei pertractioni deesse videbuntur, non deficienti voluntati sed virium tenuitati tribuens. Apud Te enim non vereor equidem, ne voluntatis suspicionem sustinere non possim, quum praesertim omnem studiorum meorum cursum teneas, quibus si quando diuturna obfuit valetudinis intercapedo, numquam tamen voluntatem meam obfuisse confido.

Itaque non esset cur metus me premeret, ne minus praestare viderer, quam pro grati animi testificatione esset conveniens, nisi cogitarem eorum opiniones,

quos Praeceptores habuisse recordor, tum in nostra
Civitate cum in Academia Rheno-Trajectina. Horum
Clarissimorum Virorum praceptoris et beneficiis, si
nunc par aliquid a me postuletur ingenii et doctrinae,
satis scio, me omnem spem esse destituturum. In qui-
bus utcunque judicetur, mihi non in omni vita res
tam erit ulla proposita, quam ut tantorum meritorum
majorem semper gratiam habere possim.

Viri quidem Cl. DEN TEX et VAN HALL, Collegae tui
aestumatissimi, quam singulari beneficio de me
meruerint, aut in Specimine conscribendo aut in
privata institutione, Tu omnium minime ignoras.

Sic quoque in Trajectina Academia quam integra ad
hunc usque diem permanserit eximia Clarissimorum
Virorum erga me benevolentia, imprimis attestatur
V. Cl. VREEDE, Promotor aestumatissimus, qui quoties-
cunque eum adirem, eadem semper me exceptit
comitate et insigni sua voluntate adjuvandi studia
mea me prosequi non destitit.

Quae omnia, tum etiam aliorum auxilia et dulce
amicorum consortium talia fuerunt, ut bonis illis
numquam non per reliquam vitam frui cupiam quam
maxime et sperare posse quodammodo mihi videar.
Tuum vero perpetuum fore amorem, id affirmare

potius quam sperare licet. Quemadmodum autem
crescit patrum cum filiis familiaritas cum ipsa vitae
aetate, ita nos quoque, ad remunerandas paternas
sollicitudines et cumulanda grati animi testimonia,
in dies possumus majores vires consequi, ut ingra-
vescens parentum aetas in liberorum pietatis officiis
conquiescere aliquando valeat. Quibus expectationi-
bus, quales hodie colo, ut propitius adsit Deus O. M.,
rogo atque oro.

CONSPECTUS.

INTROITUS.	Pag.
	1.

CAPUT PRIMUM.

DE PUBLICA INSTITUENDAE JUVENTUTIS PROCURATIONE IN REGNO FRANCORUM.

§. 1. <i>Praemonenda.</i>	5.
§. 2. <i>Gallia Romana et Merovingica.</i>	7.
§. 3. <i>Gallia sub imperio Caroli Magni.</i>	17.
§. 4. <i>Gallia Carolingica post Carolum M.</i>	30.

CAPUT SECUNDUM.

DE PUBLICA INSTITUTIONIS CURA AB INEUNTE SECULO DECIMO USQUE AD COMMUNITATUM ORIGINEM.

§. 1. <i>Civitatis atque Institutionis conditio hac aetate universe qualis fuerit.</i>	38.
§. 2. <i>De Universitatum Origine.</i>	47.
§. 3. <i>De Scholarum cura Patrimoniali unde hodierni Juris Dominici magistros instituendi origo.</i>	55.

CAPUT TERTIUM.

DE PUBLICA INSTITUTIONIS CURA A COMMUNITATUM ORIGINE USQUE AD BURGUNDIACAE STIRPIS PRINCIPES.

§. 1. <i>Communitatum initia quid omnino valuerint ad Institutionis conditionem mutandam.</i>	75.
§. 2. <i>Civitates Belgii quam libertatem acceperint in rebus suis gerendis.</i>	76.

§. 3. Scholaram curam primo privatis concedunt Hollandiae Comites.	80.
§. 4. Scholarum cura postea Civitatibus conceditur per privilegia.	86.
§. 5. Quae jura circa Institutionem privilegiis acceperint Civitates.	94.
§. 6. Quid juris Summo Imperanti fuerit relictum.	102.

CAPUT QUARTUM.

DE PUBLICA INSTITUTIONIS CURA INDE A PRINCIPUM BURGUNDIACAE
STIRPIS IMPERIO USQUE AD CONSTITUTAM BELGII
FOEDERATI REMPUBLICAM.

§. 1. Quo tempore sub uno Principe nondum coaluerant Belgii provinciae, quomodo se gesserit Summus Imperans.	113.
§. 2. Belgii provinciis sub uno Principe conjunctis, leges invaluerunt.	
A. De Caroli Imp. legibus.	122.
B. De Philippi Hispanici legibus et de Concilii Tridentini Decretis.	131.
§. 3. Post rerum Conversionem anni 1572, quid aetum fuerit cum a Gubernatore et Ordinibus Provinciarum, tum in Synodis.	141.
CONCLUSIO.	154.
APPENDIX.	161.
THESES.	171.

CORRIGENDA.

Pag. 8. a. l. 15. pro Romam leg. Romani.

Pag. 67. a. l. 9. pro premetur leg. premeretur.

Pag. 75. in Nota 2. pro VAN DEN SPIEGEL leg. VAN DE SPIEGEL.

the following observations were made at
the same temperature as those above, when the
water was again heated.

1600

The water was again heated to 160° F., and
the following observations were made at
the same temperature as those above, when the
water was again heated.

«L'histoire n'est pas seulement un recueil d'exemples; elle est la
seule voie, qui nous soit ouverte pour parvenir à la véritable con-
naissance de notre état actuel.»

Rossi.

INTROITUS.

Quaestio Juris Publici in Juventutis Institutione procuranda quid civitati juris sit et esse expediat, hac, quam vivimus aetate, multorum hominum contentionibus dissensionibusque viget et sciunt omnes, eam non sine ira atque studio agitari solere. Quamquam autem res philosophice explorata est a multis, a paucis vero historice, fuerunt tamen qui ex historia, tamquam ex communi fonte haurientes, diversas, ut ita dicam, aquas hausisse videantur. Quare in tanta re cum magna sit sententiarum discrepantia, animum induxi ex remotiori patriae nostrae antiquitate hanc vexatissimam Juris Publici materiem pro viribus illustrare. Itaque hujus Speciminis Academicici argumentum totum erit historicum. Metus enim erat, si quan-

do philosophiam excitare vellem , ne me tironem judicem
recusarent omnes , vel saltem coeptis Terentianum illud
actum agere subscriberent.

Cogitanti igitur ea JCti verba, quae in fronte Speciminis
inscripsi, id primum ad aetatis nostrae usum producen-
dum videbatur, quod ex antiqua patriae nostrae historia
repeti posset. Nunc vero substi in nova A° 1581 con-
stituta Foederati Belgii Republica, et tantummodo exposui
quale fuerit antiquissimis temporibus circa juventutis In-
stitutionem in Belgii regionibus Jus Publicum. Suadebant
illud cum aliae rationes tum peritissimorum hominum
scripta , quibus sequentia tempora , nostrum imprimis
seculum , ita illustrata sunt , ut reliqua via trita jam sit et
omnibus cognita. (¹) Accedebat quod Publicae Institutionis
conditio, quae fuit seculo septimo decimo et decimo
octavo parum differre videretur ab ea , qualis , ut in fine
Disputationis exposui, tum fuit , cum Respublica Belgii
Foederati conderetur , ita quidem , ut facile ad magnam
rerum conversionem Francicam omne produci possit
argumentum.

De gravitate materiae aut de distributione dicere non
attinet : hanc spero fore ut ipsa argumenti pertractandi
ratio quodammodo tueatur , de illa , gravitatem dico mate-

(¹) Imprimis hic cogita: A. VAN DEN ENDE, *Geschiedkundige Schets van Neerlands Schoolwetgeving*, Deventer 1846. Add. P. DE RAADT, *De Wetten op het Lager Onderwijs in het Koningrijk der Nederlanden geschiedkundig beschouwd*, Rotterd. 1830. *Schets van de Geschiedenis der Staatsverordeningen op het Lager Onderwijs hier te lande sedert de Hervorming*, peculiari mente edidit DE KATHO- LIER, *Maandschrift*, Nov. 1842 seqq.

riae, nostra tempora loquuntur. At vero non abs re fuerit monere de vocabulo, quo saepe uti debui *Institutio* aut *Institutio Publica*. Etsi minus Latine dictum videri possit, quo sensu de Institutione loquimur, est tamen vox illa hodierno usu recepta, atque ita quid ex nostra mente significet, dubium erit nemini. Quotiescumque autem de Publica Institutione fit sermo, habet ei respondens locutio Belgica ambiguam hodie significationem, modo communem illam Institutionem amplectens, ad quam cuique patet aditus quaeque *Institutioni Domesticae* opponitur; modo universam eam respiciens, quam civitas legibus constitutis sive constituendis procurare dicitur. Aut fallor aut priori sensu explicanda sunt verba Art. 224 Legis nostrae Publicae, quae ceteroquin mirum continerent pleonasmum; (¹) altero vero sensu plerumque Juris Publici scriptores loquuntur, ita tamen ut inter utramque significationem saepe omne tollatur discrimen, quum civitatis cura ipsis domesticae Institutionis finibus compelli dicatur. Postrema sententia in nostra Disputatione *Institutionis* vocabulo continetur.

Ceterum si qui sunt, qui de Hollandia magis me egisse in capite tertio quam de universi Belgii provinciis putent, nihil habeo, quod iis responsum velim, nisi me ex arena funem nectere noluisse. Ad finem speciminis documenta Quaedam in Appendice subjici quae textui inserere minus placebat, et tamen omittenda non erant, ut quae alibi

(¹) Hanc sententiam tuetur VAN DEN ENDE, o. c. in Nota 52, pag. 158; contrariam sequitur Vir Cl. J. R. THORBECKE, *Aantekening op de Grondwet*, Ed. 2, part. 2, pag. 295.

desiderentur et ita diplomatum collectionibus jam editis
de Institutione in patria nostra adjungi possint. ⁽¹⁾

Quodsi viribus juvenilibus exciderit aliquando mater-
ries, dignum venia precor existimetur in re magna volu-
isse.

(1) Ejusmodi Diplomatum Collectionem edidit D. BUDDINCH, in
Geschiedenis van Opvoeding en Onderwijs, 's Gravenhage 1843.
part II. et in *Archief voor Gesch. van Opv. en Ond. Amst.* 1833,
5 partes.

CAPUT PRIMUM.

DE PUBLICA INSTITUENDAE JUVENTUTIS PROCURA- TIONE IN REGNO FRANCORUM.

§. 1. Praemonenda.

Quamquam omnium fere communis haec est recentiorum populorum Europae cognatio, ut descendant ex eodem quasi gentium connubio, Germanorum scilicet cum Latinis: invenies tamen in aliis plus in aliis minus Germanicae aut Latinae originis. Quandoquidem vero praeter naturae habitum in corporibus hominum, si mores civilemque vitae usum inspexeris, ita diversa apud Latinos atque apud Germanos animadvertes incrementa, ut apud Germanos ex religione Christiana fere omnis descendant morum et cultioris vitae progressio, illi vero qui Latino nomine veniunt extra Christianae religionis orbem ad humanitatis laudem pervenerint, idcirco qui animo complecti voluerit recentiorum populorum imaginem, eum oportet intelligere, quem locum in singulis teneant aut pagana instituta aut Christiana.

Id quod hoc loco monere, quamquam non nova haec

sunt aut nudius tertius exquisita, ⁽¹⁾ necesse visum est. Possit enim forte quis existimare, ab alio principio disputationem nostram ordiri debuisse; at Germanica antiquitas, priusquam Christiana religione perpolita fuerat, quum in nostro argumento elaborando parum proficere videatur, prima haec Belgicae historiae tempora, quibus de Druidum institutis ⁽²⁾ foret disceptandum, non immrito nobis tacebunt; contra ex aetate Romana quaedam examinanda veniunt.

Quoniam igitur, uti verum est Francici scriptoris effatum, omnium fere Europae populorum historiam initio quidem ex Francorum historia esse repetendam ⁽³⁾, ita nostrates saltem Francis accepta referunt verum Dei cultum et humanitatem, de Francorum regno disserere hoc capite visum est.

Quum autem Gallia Romanorum armis plenius subacta oppressaque, haud paucis usa sit institutis, quorum origo et natura Romam redolent; primo jam nunc Galliam Romanam (quo nomine Belgium continetur), et quae inde exstitit Merovingicam excitabimus; de CAROLI MAGNI aetate et Carolingica singulis locis porro videbimus, ita

⁽¹⁾ Eo sensu J. J. RAEPSAET dixit: «la religion Catholique seule a policé tous ces Germains». in opere *Analyse de l'origine et des progrès des droits des Belges et Gaulois*, L. III, cap. I, N.^o 46. *Oeuvres Complètes*, Mons 1838, T. I, pag. 237.

⁽²⁾ De his Cf. D^r WESTENDORP, *Verhandeling over de Noord-sche Mythologie enz.* pag. 321. in *Werken der Maatschappij van Nederlandsche Letterkunde*, T. II. par. 1.

⁽³⁾ SIMONDE DE SISMONDI, *Histoire des Français*, Paris 1821. Intr. pag. 2.

ut primae hujus periodi finis ponatur in eo tempore, quo
Belgium ex Francorum in Germanorum imperium transiit.

§. 2. *Gallia Romana et Merovingica.*

JULIUS CAESAR ubi universam Galliam ea pace compo-
suerat, ut illae gentes, quarum maxima esset vis et auctor-
itas, exercitibus continerentur ⁽¹⁾, veteris autem liber-
tatis simulacrum prudente consilio custodiretur, fieri aliter
non potuit, quin mores quoque et instituta ex Italia in
novam provinciam migrare cooperint, crescente in dies
Romanorum numero, qui eam occuparent. Hinc postquam
Roma artium et litterarum elegantia inclaruerat, habebant
turque Maecenates, quorum favores plures captabant, in
Gallia quoque hic exarsit studiorum ardor ⁽²⁾, qui veteres
rudioris aevi mores oblitteravit et quo Gallia in primis
meridionalis ingenio abundare coepit ⁽³⁾. Magnas, ut ita
dixerim, libertatis ruinas novo disciplinarum studio sarciri,
erat Galliae haud leve servitutis solatium.

Hinc primum nostrae aerae seculum celeberrimas pro-
didit in Gallia Scholas, Massiliensem ut puta et Aduam, ⁽⁴⁾

(1) J. CAESAR *de Bello Gallico*, L. VIII. c. 54.

(2) Hinc jam PLINIUS GEMINO suo scribens: «Bibliopolas Lug-
duni esse non putabam, ac tanto libentius ex litteris tuis cognovi,
venditare libellos meos,» L. IX. Ep. 11. et JUVENALIS Sat. I. vs. 44,
«Lugdunensem Rhetor dicturus ad aram.»

(3) Cf. F. CRAMER, *Geschichte der Erziehung und des Unter-
richts im Alterthüme*, Elberf. 1832. 2. vol. 8.^o

(4) STRABO pag. 273. Cf. A. H. L. HEEREN, *Geschichte des Stu-
dioms der klassische Litteratur im Mittelalter*, L. 1. §. 21.

quarum originem nulla temporis memoria proditam, ex diplomate aut charta non repeti posse, in promtu ratio est. Hic Academiarum et Scholarum numerus auctus est, quum expulsis Roma sapientiae professoribus atque omni bona arte in exilium acta, alio, ubi tuta esset a DOMITIANI inquisitoribus, clarissimorum confugit ingeniorum corona. ⁽¹⁾ Tum enim permulti in Galliam profecti, ibi doctrinam suam venditare et magno discipulorum numero invitati Scholas condere coepere, ⁽²⁾ quae litterarum impensis elegantia et oratoria ubertate ita floruerunt ut aliquando RUTILIUS cecinerit:

«Facundus juvenis Gallorum nuper ab arvis

Missus Romam discere jura foris.»

Ita postquam varia temporum fortuna aut oppresserat Romae ingenia aut animos ad studia revocaverat, tandem novus illuxit dies, quum ex publico supplicio in sedem imperialem adscenderet Christiana religio. Dehinc, quae antea privata Institutione unice fere floruerant artium et disciplinarum studia, nunc publica gaudere tutela coepere, animosque languentium ad eruditionem incitare jam summi imperantis esse existimabatur. Etenim, qui ante CONSTANTINUM fuerant Imperatores, de Institutione

⁽¹⁾ TACITI *Agricola*, cap. 2. coll. SUETONIO in *Domitiano*, cp. 10. et GELLIO, *Noctium Att.* L. XV. cp. 11. ubi haec leguntur SCti verba: «M. Pomponius. Praetor. Senatum. consuluit. quod. verba. facta. sunt. de. philosophis. et. de. rhetoribus. de. ea. re. ita. censuerunt. uti. M. Pomponius. Praetor. animadverteret. coeraret. que. uti. ei. e. republica. fide. que. sua. videretur. uti. Romae. non. essent.»

⁽²⁾ AUSONIUS, *de professoribus Burdegal.*, passim.

juventutis cogitaverant quidem neque Galliam neglexerant, cuius rei liquida fides est apud EUMENIUM, (¹) qui CONSTANTINUM CHLORUM Juventutis Principem vocat ideo, quod summopere de juventute ingenuis artibus erudienda laboraverat; verum tamen post CONSTANTINUM M, imprimis Institutionis cura ad civitatis Legislatorem pertinere visa est. Hinc variae Imperatorum Constitutiones, quas exhibent Codex Justinianus et Theodosianus sub rubrica «*de medicis et Professoribus*», «*de Privilegiis Scholarum*», «*de Studiis liberalibus*» etc., (²) quibus de professorum probatione, de munerum immunitate praceptoribus concedenda, de discipulorum disciplina aliisque cavebatur, ut omnis Institutio juventutis cum publicae rei utilitate aequis passibus ambularet.

Quae omnia, quamvis Christianae religionis praceptis convenientia, ex imperiali auctoritate unice profluxerunt, non vero ecclesiastici ordinis decreto sive in Synodis sive in Conciliis invaluerunt. Hujusmodi enim erat tunc temporis Ecclesiae in Civitate conditio, ut altera juxta alteram seposita sui juris esset et suis uteretur privilegiis, mutua vero benevolentia mutuoque auxilio altera alteram communiret. Quemadmodum autem ante illa tempora Civitas adhuc in Ecclesiam dominata fuerat, ita vero successerunt, ut infra videbimus, ea tempora, quibus auctoritati Ecclesiae obnoxia fuit Civitatis gubernatio. (³) Quamdiu vero juris

(¹) *Orat. de Scholis restaurandis*, c. 14.

(²) *Cod. Just.* L. X. tit. 52, XI. 18, XII. 30; *Cod. Theod.* L. XIII. tit. 3, XIV. 9.

(³) Cf. GUIZOT, *Histoire de la Civilisation en France*, in *Cours d'Histoire Moderne*, Brux. 1839. Lect. 12, pag. 231.

fines placide sancteque custodivit utraque, Institutionis curam gessit Civitas, nullo adhibito in decretis sancientis Ecclesiae assensu.

Inter haec Imperatorum decreta non nisi unum est, peculiariter Galliae Institutionem amplectens, anno 376 a GRATIANO datum. Qui imperator, Treviris sede constituta, Galliae praे ceteris curam habebat et in hujus provinciae rebus bene administrandis summam dedit operam. Hic quum sibi persuasisset quantopere Gallorum Institutio inertia laboraret et incuria, adesse enim regiones, quae nullos haberent litterarum magistros, ut huic malo medetur, edita Constitutione ad Praefectum Galliae haec edixit: «Per omnem Dioecosim commissam Magnificentiae Tuae, »frequentissimis in Civitatibus, quae pollent et eminent »claritudine Praeceptorum, optimi quique erudienda, »praesideant juventuti, Rethores loquimur et Grammaticos, »Atticae Romanaeque doctrinae: quorum Oratoribus viginti »quatuor annonarum e fisco emolumenta donentur, Gram- »maticis Latino vel Graeco duodecim annonarum deductior »paulo numerus, ex more praestetur. Ut singulis urbibus, »quae Metropoleis nuncupantur, nobilium Professorum »electio celebretur, nec vero judicemus liberum ut sit cui- »que Civitati suos Doctores et Magistros placito sibi juvare »compendio. Triverorum vel clarissimae civitati uberioris »aliquid putavimus deferendum: Rethori, ut triginta, »item viginti Grammatico Latino, Graeco etiam, si qui »dignus reperiri potuerit, duodecim praebantur anno- »nae.» (1)

(1) Vid. COD. THEOD. L. 11. *de Medicis et Proff.* (XIII. 3).

Clarissima hac Imperatoris voce optime docemur, qualis ejus fuerit de Institutione promovenda sollicitudo et quantum statuendi de ea rearbitrium. Praetorio praefecto summa mandatur cura, ut ubique per omnes Galliae civitates (¹) instituantur magistri, qui, ne vili mercede munera sua lucrarentur, ex publicis civitatum viribus (²) annonas (*ημερήσιον* dicunt) consequerentur. Identidem enim de salario praestando lis erat aut mala fides apud civitatum magistratus, cui rei jam olim curam dedisse VESPASIANUM, auctor est SUETONIUS (³), quemadmodum postea ejus exemplum secuti sunt successores. (⁴) Nunc autem, ut ea de re in Gallia quoque lege foret sancitum, neve septentrionales ejus civitates omni indigerent Institutione, a GRATIANO cavetur. De his ut prolixius agatur, vetat argumenti ratio; quodsi cogitaveris universam Galliam in politicis saltem rebus ita Romanorum servitium tulisse, ut Gallorum nomini suum supposuissent Romani, ex hoc uno intelligi poterit, quae fuerint in Gallia de Institutione

(¹) Non enim ad Hispaniam neque Britanniam posse referri edictum argute probavit GOTHOFREDUS ad h. l., cuius commentarius multus est in interpretanda nostra Constitutione et universa Gallicae Institutionis conditione exponenda.

(²) Ita saltem GOTHOFREDUS verbum *fisci* interpretatur, ut non sit publicus ille, qualis vulgo eo nomine intelligitur, universae rei publicae sed singularum civitatum redditus.

(³) In *Vespasiano*, c. 18. «Primus e fisco Latinis Graecisque rhetoribus annua constituit.»

(⁴) De ANTONINO PIO vid. ejus Vita apud JUL. CAPITOLINUM, c. 11. «Rhetoribus et Philosophis per omnes provincias et honores et salario detulit.» — De MARCO AURELIO DIO CASSIUS, L. LXXI. oper. pag. 814.

jura. (¹) Caeterum , quominus publica sua jura vindicaret et stabiliret, ipsa Gallia quoque sibi obstabat , dissociatis ubique per discordias et turbas civitatibus. Hinc, tamen-
etsi in eo quaedam salva reliquerant Romani, vetus mos , quo populi Proceres in *Placito* conveniebant, ut de re communi consultaretur, non modo ita exoleverat, ut duo tantum nobis Placita iunctuerint *Narbonense AUGUSTI aetate et VESPASIANI Remense*, (²) sed etiam, quum Imperiali Decreto anni 418 generalia Placita in Gallia sua sponte restituere conatus est *Honorius*, *ut secundum suam voluntatem et antiquo more deliberarent omnes populi*, (³) quo minus eo favore commode uterentur, deerant vires et ipsa civium voluntas in servitute et turbis obmutuerat. Quo factum est, ut Publica Institutio communii Romanorum lege uti perrexerit, quatenus tulit temporum injuria , et Gallia uti in ceteris ita hac in re Divis Imperatoribus obtemperaverit. Atque ita prudenter egerunt Christiani Imperatores, Belgarum imprimis Institutionem non modice procurantes, celebresque in litteris viros in eas provinciae partes dimittentes, ubi rudiores adhuc mores elegantiori cultu indigebant. Sic Coloniam missus *EUMENIUS* rhetoricae docuit et imperiali quasi mandato instructus Scholas ibi

(¹) Hinc J. CAESAR de Gallia scribens : (de B. G. VII. c. 77)
«Jure,» inquit, «et legibus commutatis, securibus subjecta perpetua premitur servitute.»

(²) SIMONDE DE SISMONDI, *Hist. des Français*, T. I. pag. 54.
seqq. ibique auctores.

(³) Abbas DUBOS, *Histoire Critique de la Monarchie Française*, L. II. ep. 5. Cf. et J. J. RAEPSET, *Histoire des États-Généraux*, ep. 1. in *Oeuvres compl.* vol. II. pag. 9.

habuit, quae post ejus mortem ad successorem transierunt. Haud secus Treviris floruerunt MAMERTINUS et HARMONIUS et ita, quod antea in meridionali Gallia clam obtinuit, nunc imperialis sancivit auctoritas, ut clarissimorum viorum doctrina ubique auditorum coronam alliceret unde Schola constitueretur.⁽¹⁾ Quam ob rem si communis Institutio Galliae parum ea aetate de qua loquimur, profecerit, id Romano imperio ne tribuatur, quippe cujus gubernatores, Christianis imbuti praeceptis, tantam rem summa cura sunt prosecuti. Hinc Edictum JULIANI, quo hic a. 362 statuerat, ut omnes peraeque studiorum doctores comprobarentur, quo facilius Christianos a docendi munere arceret,⁽²⁾ VALENTINIANUS jam, nova edita Constitutione, abolevit.⁽³⁾ Quodsi GRATIANI exemplum docet, quam dignus ille fuerit, qui summo in Institutionem jure uteatur, contra ne summa tantae rei salus in uno homine periclitetur, exemplo suo monet Apostata.

Quae hactenus de Publica Institutione in Gallia monuimus, veteres legum Codices testantur. Quum vero Codicis Theodosiani auctoritas et usus in Galliis ea tempestate (circ. annum 462) invaluerint, qua jam litterarum studia et scholae deciderant, manifestum est varias imperatorum constitutiones de professoribus et studiis ibi omni caru-

⁽¹⁾ Plura de Belgii Institutione et eruditione vid. apud M. DE RONDEAU, *Verhandeling op de vraag: «welke was de kleeding etc. der Belgen»*, in *Annalibus Academiae Bruxellensis*, anni 1774, et Th. JUSTE, *Essai sur l'Histoire de l'instruction publique en Belgique*, Brux. 1844.

⁽²⁾ L. 5. Cod. Theod. *de proff. et Med.* ibique GOTHOFREDUS.

⁽³⁾ L. 6. eodem.

isse auctoritate. Etenim non modo ipsa Institutionis natura a Romana erat diversa, rhetoramic scilicet et grammaticam tantum usque ad Gratiani aetatem curans,⁽¹⁾ sed aliis quoque legibus Gallias, quam ceteras Imperii Romani partes obstrictas fuisse, docet Edictum GRATIANI si cum reliquis comparaveris. Hinc de Scholis et magistris qui Romae erant aut Constantinopoli peculiaribus legibus cautum fuit, quarum praecepta, si umquam, certe post receptum duntaxat Codicem Theodosianum Gallicas Scholas jure obligare potuerunt.⁽²⁾

Ceterum etsi imperatorum cura publicarum Scholarum decus aliquando sustinuerit et juris philosophiaeque studium ex Italia in Galliam deduxerit, non diu tamen haec permansit provinciae felicitas.

Jam Christiana doctrina ubique veteris religionis caliginem splendore suo discutiens plures in dies suis sacrorum solennibus initiatibus. Quum vero qui in publicis Scholis artes profitebantur et disciplinas a nova religione alhorrent, quippe quae divinarum rerum notitiam tunc unice commendabat, liberalium studiorum forma, qualis fuerat antiquitus, eadem permauit, mutatis vero Gallorum opinionibus adversaria. Quo factum est, ut paganas Scholas devitantes, postquam monasticae vitae ratio invaluerat, permulti haberentur, qui omnem negligerent

(1) Ita GOTHOFREDUS ad Edictum Gratiani ex AUSONIO et WOEWERI *Polymathia*, a quo distat quodammodo GUIZOTUS o. l. Lect. 4^a.

(2) De Academica disciplina exstat Constitutio anni 370 in *Cod. Theod.* L. 1. *de studiis lib. urbis Romae*, cuius auctoritatem in Gallia celebravit TH. JUSTE, in o. l. pag. 3; minus recte ut videtur.

Institutionem, omnesque Scholae discipulorum inopia paulatim contabescerent.

Accessit seculo quinto ineunte Burgundionum et Visigothorum victoria, qui, ut faciles erant in veteris regimini forma et juribus conservandis, (¹) nihil quidem in tristissima Scholarum conditione commutarunt, novos tamen induxerunt mores et novam linguam, quibus Romanae litterae in majorem abierunt desuetudinem.

Tandem universa Gallia a Francis, Christiano duce GLODOVEO, occupata, antiqua Romanorum instituta cum ipso nomine cedunt armis Germanorum; corrunt et Scholae, veteris religionis quasi monumenta. In tanta rerum turba artes et litterae tamquam exsules pererigrantur inque monastica claustra confugiunt, ubi ad ecclesiasticam formam redactae tristi premuntur servitute. Quandoquidem vero haec fuit Institutionis conditio, ut tristi laboraret anarchia, quid mirum, si in monasteriis et ecclesiis Scholae excitarentur, quae loco et exemplo earum, Quae perierant, juventutis curam habere coepere. (²) Hae tamen neque civili neque ecclesiastica auctoritate comprobatae fuisse videntur. Nam, ut monasteria taceam,

(¹) M. J. M. LEHUËROU, *Histoire des Institutions Mérovingiennes*, Paris 1843. T. I. pag. 205 : «Ainsi la civilisation des Romains plus forte et plus durable que leur Empire, s'empare rapidement des Barbares qui l'ont demembré; elle les subjugue, elle les pénètre, elle les transforme et remonte enfin par sa propre vertu au rang que sa superiorité lui assigne.»

(²) De his scholis, quae omnes religionis utilitatem spectabant, conferre merentur. F. CRAMER, *Geschiedenis van Opv. en Onderwijs in de Nederlanden* belgice edidit D. BUDDINGH. L. B. 1846. et Th. JUSTE, o. l. pag. 8 sq.

quae cum Ecclesia nihil habebant in jure commune⁽¹⁾, tantum abest, ut hac aetate majoribus in Civitate juribus frui Ecclesia cooperit, ut ejus conditio servilis magis quam antea sit dicenda, vel saltem inferior.⁽²⁾ Ita Merovingiae stirpis principes saepe de ecclesiasticis rebus, aut de Conciliis convocandis, aut episcopis eligendis edixerunt suamque auctoritatem contra Ecclesiam vindicarunt. Contra vero Ecclesia, civilium rerum minus curiosa, primo hac tempestate universalem illam formam adepta est, qualis, uti postea Romae, in Oecumenicis Conciliis jam nunc conspicitur.

Praeter haec Concilia generalia, quibus jam Galliae clerus interesse coepit, frequens etiam erat Conciliorum Gallicorum usus, quae privata cura ad exemplar Oecumenicorum de Galliae sacris statuerent. Quum vero totius Institutionis forma cum religionis disciplina esset conjuncta,⁽³⁾ et quo major fieret juris communio, eo magis, quae in Italia obtinebant, ad imitandum proponerentur in Gallia, ulti intelligitur, quo jure de Institutione quaedam in his Conciliis fuerint deliberata et canonica auctoritate invaluerint.

Ita, quae anno 529 in Concilio Vasensi de instituenda juventute edixerunt episcopi magis presbyteros spectabant quam laicos. ⁽⁴⁾ Dubia qualis erat Institutionis conditio

(1) Cf. GUIZOTUS, o. l. Lect. 14. LEHUÉROU, o. l. T. II. pag. 490 seqq.

(2) GUIZOTUS, o. l. Lect. 12. pag. 233, Ed. Brux.

(3) Cf. MABILLON, *de studiis monasticis*, Venet. 1729. T. I. p. 5.

(4) Verba Concilii leguntur apud SIRMONDUM, *Concilia Galliae*, T. I. pag. 226. «Hoc enim placent ut omnes presbyteri, qui sunt in parochiis constituti, secundum consuetudinem, quam per totam

effecit, ut studia, qualiacunque Ecclesia colebat, iterum labefactarentur et communis esset querela: «Vae diebus nostris, quia perit regnum litterarum a nobis.»⁽¹⁾ Ex tanta seculi labe et Ecclesiae incuria ut Institutionem suscitatet eique legitimum in rebus publicis locum indicaret, summo studio contendisse videtur CAROLUS MAGNUS.

§. 3. *Gallia sub imperio Caroli Magni.*

Sub regibus Carolingiae stirpis novus quasi illucescit dies cum in Ecclesia tum in societate civili.⁽²⁾ Ante illos qualis fuerit utriusque conditio et necessitudo, strictim commemoravi: visa est Civitas externis primo deinde internis turbis et bellis laborasse, Ecclesia vero ex dubia incertaque conditione eo tetendisse, ut certo in Civitate jure gauderet. Itaque quo tempore CAROLUS MAGNUS primum imperii gradum capessebat, Ecclesia rituum magnificentia et externi cultus splendore animos ad se omnium convertere coepit. Accrescente ecclesiarum et monasteriorum numero, Scholae quoque plures institutae sunt, ne presbyteri

Italiam satis salubriter teneri cognovimus, juniores lectores, quantos-cunque sine uxore habuerint, secum in domo, ubi ipsi habitare videntur, recipient et eos, quomodo boni patres spiritualiter nutriendes psalmos parare divinis lectionibus insistere et in lege Domini erudire contendant, ut et sibi dignos successores provideant et a Domino praemia digna recipient.»

(1) GREGORIUS TURONENSIS in *Historia Eccl. Francorum*, praef.

(2) De Carolingica aetate conferri merentur quae nuperrime scripsit E. DE LA BEDOLIERRE, *Histoire des moeurs et de la vie privée des Français*, T. II. Paris 1847.

rudes omnino et indocti ad sacra accederent. Hinc in nostra patria celeberrima Schola Ultrajectina anno 696 condita cum ecclesia St. Martini conjuncta, quae, origine sua et natura ad informandum clerum destinata, seminarii nomine (*plantschool*) celebrari posset. ⁽¹⁾

Ceterum litterarum studia nullo adhuc publico gaudebant praesidio, et si qui hac aetate Oratores et Rhetores floruerunt, ⁽²⁾ illi Ecclesiae tantum causam tueri studuerunt. Tanta enim fuit ecclesiasticae eruditionis prae ceteris laus, ut stulti, rustici et indocti dicerentur, qui in musices arte parum excellebant, quippe qui sacras cantilenas celebrare non possent. ⁽³⁾ Rebus sic se habentibus, ut Institutionem, qualis quondam fuerat, suscitaret, non modice elaborasse CAROLUM M. historiae testantur monumenta. ⁽⁴⁾ Ita qui illa aetate de vita CAROLI ⁽⁵⁾ aut de aliis argumentis ⁽⁶⁾ libros singulares scripserunt, quanto

⁽¹⁾ De ea vid. HEDA, *de Episc. Ultr.* p. 31 sqq. et BEKA, *Chron.* p. 22 seq. Cf. MATTHAEUS, *Fund. Eccles.* L. I. c. 1 et 2. J. MÖSER, *Osnabrückische Geschichte*, Berol. 1843, part. pr. pag. 287. H. M. A. J. VAN ASCH VAN WIJK, *Instellingen van Hooger Onderwijs in Utrecht*, Utrecht 1836, pag. 8 seq.

⁽²⁾ Cf. HEDA, *de Willebrordo*, l. I.

⁽³⁾ Exemplum habes apud MONACHUM ENGOLISMENSEM in *Vita Caroli M.* ad annum 787.

⁽⁴⁾ De meritis Caroli in Scholis restaurandis vid. LAUNOIUS, *de Scholis celebribus a Carolo M et post Carolum M in occidente instauratis*, Hamb. 1717. Coll. F. CRAMER, *Geschiedenis etc.* pag. 39 seqq. E. DE LA BEDOLLIERRE, o. c. T. II, pag. 238 seqq.

⁽⁵⁾ EGINHARDUS, *de vita et gestis Caroli M.* item MONACHUS ENGOL. l. c.

⁽⁶⁾ JONAS AURELIANENSIS in Lib. I. *de Cultu imaginum*.

studio disciplinarum curam Imperator prosecutus sit, eximia laude extollunt. Verumtamen ad eas populorum vires corroborandas, quae ingenii hominum continentur, praeterquam quod se ipsum aliquo litterarum splendore condecoravit, egregios in disciplinis viros undique convocando suoque exemplo ad restaurata studia excitando,⁽¹⁾ majus aliquid stabileque praestare studuit, quo civium Institutio perpetua gauderet tutela. De his non secundarii, quales sunt illi, quos dixi, scriptores, sed primarii adeundi sunt historiae fontes.

Quemadmodum Gallorum, quo nomine varii intelliguntur populi, civilia jura legibus continentur, quas aut Ripuariorum dixerunt, aut Salicam, aut Frisiorum et alias, ita politicorum jurium fons et scaturigo *capitularia* quaedam habentur et *consuetudines* atque *usus*, quae communi consensu tacite invaluerunt.⁽²⁾ In his, ad legislatoriam potestatem inter principem et cives ordinandam, valebat vetus Germanicum principium a TACITO nobis servatum: *de minoribus rebus principes consultant, de majoribus omnes.*⁽³⁾ Quod, postquam in restaurandis permultis civium juribus caute usi eo fuerant Impp. CHILDEBERTUS et CLOTARIUS, CAROLI auspiciis eam vim coepit habere, ut potestate legislatoria aequis limitibus permunita, fundamentalem, quam nunc voca-

(1) Ad suum exemplum provocat Imperator in capit. *de Emendatione librorum* apud BALUZIUM, T. I. pag. 213 seqq.

(2) Cf. qui hanc materiem uberiorius persecutus est, J. J. RAEPSAET, *Analyse etc.* cap. 6 et 9. et ejusdem *Histoire des États-Gén.* ep. 2.

(3) *De Mor. Germ.* cap. 11. Cf. et LEHUËROU, *H. des Inst. Merov.* Tom. II. pag. 307.

mus, legem adfuisse dices. Hinc factum est, quum de emendanda Institutione cogitaret Imperator, a Papa scilicet eo ductus, ne Christiana fides detrimentum caperet Institutionis calamitate, ut, quales partes ea in re sibi assumere deberet, optime percepit.

Non enim sponte sua suaque auctoritate eam rem, ut regiam, exsequi studuit. Compertum sibi habebat, tanti eam esse momenti, ut, si quid de ea statui vellet, opus esset Procerum in Communi Placito auxilio, quo illud legis vim obtineret, nec nisi omnibus consentientibus eam ad bonum exitum perduci posse. Hoc docet notabile Imperatoris Decretum ad omnes in civitate Episcopos epistolae instar datum anno 788, cuius exemplar exhibit capitularium collationes his verbis:

«KAROLUS gratia Dei rex Francorum et Longobardorum
»ac Patricius Romanorum Baugulfo abbatи et omni con-
»gregationi tibi etiam commissis fidelibus oratoribus nostris
»in omnipotenti Dei nomine amabilem direximus salutem.
»Notum igitur sit Deo placitae devotioni vestrae, quia nos
»una cum fidelibus nostris consideravimus utile esse, ut
»episcopia et monasteria nobis, Christo propitio, ad
»gubernandum commissa, praeter regularis vitae ordinem
»atque sanctae religionis conversationem etiam in littera-
»rum meditationibus, eos qui donante Domino discere
»possunt secundum uniuscujusque capacitatem, docendi
»studium debeat impendere: qualiter sicut regularis
»norma honestatem morum ita quoque docendi et descendendi
»instantia ordinet et ornet seriem verborum; ut qui Deo
»placere oppetunt recte vivendo ei etiam placere non
»negligant recte loquendo. — Quam ob rem hortamur
»vos, litterarum studia non solum non negligere verum

„etiam humillima et Deo placita intentione adhoc certatim
„discere, ut facilius et rectius divinarum scripturarum
„mysteria valeatis penetrare. — Tales vero ad hoc opus
„viri elegantur, qui et voluntatem et possibilitatem dis-
„cendi et desiderium habeant alios instituendi. Et hoc tan-
„tum ea intentione agatur qua devotione a nobis praecipi-
„tur. Optamus enim vos, sicut decet Ecclesiae milites et,
„interius devotos et exterius doctos castosque bene vivendo
„et scholasticos bene loquendo ut quicunque vos propter
„nomen Domini et sanctae conversationis nobilitatem ad
„videndum expetierit, sicut de aspectu vestro aedificatur
„visus, ita quoque de sapientia vestra, quam in legendō
„vel cantando perceperit, instructus, omnipotenti Deo
„gratias agendo, gaudens redeat. Hujus itaque epistolae
„exemplaria ad omnes suffragantes tuosque coepiscopos
„et per universa monasteria dirigi non negligas, si gratiam
„nostram habere vis.» ⁽¹⁾ — His, quibus primum de
reformanda Institutione cautum est, (si quidem Constitu-
tionem excipias de ecclesiastica cantilena, ⁽²⁾ qua in re
eandem rationem secutus est Imperator) ea quae de CAROLI
consilio diximus, omni dubitationi exempta sunt. « Consi-
deravimus nos, inquit, una cum fidelibus: » ⁽³⁾ i. e.
populi Proceres in publico Placito interrogavimus eorum-

⁽¹⁾ Universam Constitutionem vide apud BALUZIUM Capit. T. I.
pag. 201.

⁽²⁾ In Capit. anni 789 N. 79, apud PERTZ Monumenta. Legum
T. I. pag. 66.

⁽³⁾ Iis qui *leudes* vel *homines* et *fideles* dicuntur tam Episcopi
quam Autrunctiones intelliguntur ut *qui partem regalis ministerii
habent* (Cap. anni 823. ep. 12). Cf. M. DE KOCK, *Specimen de po-
testatis civilis Episcoporum initii et incrementis*. Traj. ad Rh. 1838.

que consensum tulimus. Itaque Institutionis curam ad majores pertinuisse rei publicae causas, procul dubio est; leges ferre ubi tantum rogare eas consueverat, abs re fore ei videbatur.

Quod si quaerimus, qui fuerint, qui hanc Constitutionem *Fideles* tulisse dicuntur, illud ex iis constabit, quibus recentiores (¹) juris historiam illustrarunt. Ut Procerum duo erant ordines, alter clericorum, laicorum alter, sic quoque universa rerum pertractandarum materies duplex erat: de rebus mere *spiritualibus*, uti loquebantur, penes clericos erat deliberandi potestas, de *secularibus*, quomodo res mere humanae dici coepерant, laicorum ordo interrogabatur; quae autem mixtae naturae erant, in deliberationem generalis ordinum Placiti cadebant. (²) Ipse Princeps, qui Placitis aderat et in iis partes quasdam gerebat, etsi multa sua sponte Ordines rogavit, tamen non solus illo jure

(¹) In primis hic nominaudi sunt, quorum sententias secuti sumus, K. F. EICHHORN, *Deutsche Staats- und Rechtsgeschichte*, Göt. 1843. vol. I. §. 158. J. J. RAEPSET in oo. cc. et J. MÖSER, *Osnabrückische Geschichte*, vol. I. part. 4.

(²) HINCMARUS, *de Ordine Palatii*, cap. 29 seqq. Ita ille: «Quae utraque seniorum susceptacula sic in duobus divisa erant ut primo omnes episcopi, abbates vel hujusmodi honorificentiores clerici absque ulla laicorum commixtione congregarentur, similiter comites vel hujusmodi principes sibimet honorificabiliter a caetera multitudine primo mane segregabantur quousque occurrerent, et tunc praedicti seniores more solito clerici ad suam, laici vero ad suam constitutam curiam subselliis similiter honorificabiliter praeparatis convocarentur. Qui cum separati a caeteris essent in eorum manebat potestate quando simul vel quando separati residerent, prout eos tractandae causae qualitas docebat, sive de spiritualibus sive de secularibus seu etiam commixtis.»

(hodie vocant *Initiatief*) gaudebit, quin et Ordines Principes rogasse constat; quid? quod populum ipsum per Comitem convocatum de quibusdam rebus consuluisse et sententiam suam ad Ordines retulisse non dubitatur. (1)

Igitur CAROLUS Imperator, ut ad ingenii populorum facultates excolendas pronus erat, de Institutione emendanda custodiendaque Fideles rogavit. Quum vero illa hac tempestate tota fere ecclesiastica esset et arctissimis religionis vinculis capta, in clericorum ordine de ea, tamquam de re mere spirituali fuisse deliberatum, equidem putaverim. Hinc, quod non minoris est momenti, ipsi Proceres, Principis voto pronis auribus accepto, rem Episcopis quam ceteris mandari maluerunt; cuius rei sententiam, qualis in laudata Constitutione exponitur, suo nomine confirmavit Imperator. Et sic jam eorum errores notare licebit, qui partium studio ducti, aut omne jus in Institutionem Principi esse concedendum clamarunt CAROLI M. exemplum extollentes, aut contra ad ejusdem temporis historiam provocantes jus illud Ecclesiae, tamquam illa aetate acquisitum, aeri contentione addixerunt. Quorum neutrum quisquam, si vel levi juris historiae cognitione tinctus et veri inveniendi magis quam adversarios redarguendi studiosus fuisse, ita pronunciasset ἀποδεικτικῶς. (2) Etenim in monarchia Carolingica, quamdiu

(1) RAEPSAET, *Analyse*, L. I. ep. 6. N. 109.

(2) Ingens prodidit nostro seculo libellorum numerus de juribus Principum in Institutionem, quum de ea re lis agitaretur inter Clerum Romano-Catholicum et civitatis nostrae gubernatores. Horum nonnulli auctores causam suam istis argumentis defendere conantur: e. g. ut de ceteris taceam, auctor in Diario: *Le Catholique des*

praedecessoris sui consilium et regni administrandi normam secuti sunt Imperatores, tamdiu et Publicae Institutionis causam non regiam, at vero legislatoriam esse existimarunt; nec magis jus suum universo clero cesserunt legislatores, sed publice ei mandari voluerunt.

Hinc facile intelligitur, quum per universas imperii partes mitterentur, qui in *missiatico* suo jus dicerent et cognoscerent, si quid auctoratis legi aut deesset aut obesset omnino, ad illorum Missorum tutelam Institutionem quoque pertinuisse. Nam non modo Missorum erat res seculares tueri, sed, quemadmodum iis praescriptum legitur, «ut *episcopum* vel *comitem*, quem in »legationis suae circuitu invenirent aliquid negligentius in »suo ministerio egisse, admonitione corrigerent,»⁽¹⁾ res spirituales quoque eorum erant ministerii; ita, ut eo munere Episcopi fungerentur, et ad eos idcirco Institutionis cura pertinuerit.

Quin et Episcopos per parochias suas ultro studuisse, ne Principis jussis negligenter pareret clerus, luculentissimum exstat testimonium in *HINCMARI*, *Archiepiscopi capitulis ad presbyteros parochiae suae ubi*: «haec, inquit, »omni anno investiganda sunt a magistris et decanis presbyteris per singulas matricies ecclesias et per capellas

Pays-Bas, 9 m. martii 1827. N.^o 59. Ejus sententiam edidit postea et refutavit M^r K. *Droits du Prince sur l'Enseignement Public*, Gand 1827. belgice editum Amstel. 1828.

(¹) Verba sunt capit. anni 823. ep. 26. BALUZIUS, T. I. pag. 641.

(²) De Episcorum jurisdictione et muniberibus plura vid. apud M. DE KOCK, *Specimen laud.*, pag. 19 sqq.

»ecclesiae nostrae.... Si habeat clericum , qui possit tenere
»Scholam aut legere epistolam aut canere valeat prout
»necessarium sibi videtur.» (¹)

Hanc , quam in reformanda Institutione ingressus erat
viam , prudenti consilio ita persecutus est Imperator , ut
diplomata plura ad nos pervenerint , justissimi ejus et
fortissimi regiminis quasi documenta. Ita in celeberrimo
Capitulari Aquisgranensi anni 789 sacerdotes tali modo
admonentur : «Sed et hoc flagitamus vestram almitatem ,
»ut ministri altaris Dei suum ministerium bonis moribus
»ornent , seu et alii canonici observantia ordinis , vel mona-
»chi proposito consecrationis ; obsecramus ut bonam et
»probabilem vitam et conversationem habeant , sicut ipse
»Dominus in Evangelio praecipit : *sic luceat lux vestra coram*
»*hominibus ut videant opera vestra bona et glorificant Patrem*
»*vestrum qui in coelis est* ; ut eorum bona conversatione
»multi pertrahantur ad servitium Dei. Et non solum servilis
»conditionis infantes sed etiam ingenuorum filios adgredent
»sibique socient. Et ut Scholae legentium puerorum fiant
»Psalmos , notas , cantus , computum , grammaticam per
»singula monasteria vel episcopia discant....» (²)

Monuit Imperator in praefatione , se hanc quoque Con-
stitutionem una cum sacerdotibus et consiliariis suis com-
probasse et eam ob causam tulisse *ne aliquis pietatis admo-*
nitionem esse praesumtuosam judicet , qua errata corrigere ,
superflua abscidere , recta corrigere studebat. (³) Ita jam

(¹) SIRMONDUS , *Conc. Galliae* , T. III. pag. 623.

(²) BALUZIUS , *Cap. T. I.* pag. 237.

(³) Verba sunt praefationis , ubi et quae de Missis notavimus ple-
nius comprobabantur.

priori decreto de studiis promovendis hanc alteram sub-
jicit de Scholis instituendis, ut facilius voluntati ejus obse-
qui possent Episcopi, omnibusque foret consultum. (¹) Neque dubitamus, quin per hanc constitutionem omnium
Scholarum divisionem in *Monasticas* sive *Claustrales* et
Canonicas publica auctoritate primo invaluerit. (²) Licet
enim non expressis verbis, attamen uti *Canonici ordinis*
Ministri et *Monachi* singulatim nominantur, ita quoque
monasteria et episcopia tamquam specie diversa indican-
tur. Quare si etiam secula posteriora immutatam nobis
servarunt hanc divisionem, ex praedicto decreto repeti
poterit.

Ceterum, quantopere ipsi Episcopi publicis jussis obtem-
perare studuerint et de mandato suo pie cauteque exse-
quendo egerint satis, ne in eos publica redundaret nota
negligentiae, testantur cum aliis THEODULFI Episcopi capi-
tula ad Coepiscopos parochiae suae anno 797 ita scriben-
tis: «Presbyteri per villas et vicos Scholas habeant et si
»quilibet fidelium suos parvulos ad discendas litteras eis
»commendare vult, eos suscipere et docere non renuant
»sed cum summa caritate eos doceant..... Cum ergo eos
»docent, nihil ab eis pretii pro hac re exigant, nec aliquid
»ab iis accipient excepto quod eis parentes caritatis studio
»sua voluntate obtulerint.» (³) — Cui admonitioni illud

(¹) CAROLUM M. non tantum monachorum Scholas sed etiam
omnium publicas condi voluisse, adversus GUIZOTUM recte monuit.
E. DE LA BEDOLIERRE, o. c. T. II. pag. 242.

(²) Cf. DUCANGE, *Glossarium*, in voce *Scholae Monasticae*,
T. III. pag. 738.

(³) SIRMONDUS, *Conec. Gall.* T. II. pag. 215, N.º 20.

praefatur: « Veraciter nosse debetis et semper meminisse,
» quia nos, quibus regendarum animarum cura commissa
» est, pro his, qui nostra negligentia pereunt, rationem
» reddituri sumus. »

Verum enim vero, Scholae, quae hac aetate extiterunt, etsi omnes propemodum Episcopos habuerint conditores, (¹) CAROLUM quoque in his suam partem egisse ex fundatae Scholae Osnabrugensis diplomate anno 804 liquide constat, ubi testatur: (²) — « In eodem loco Graecas et Latinas Scholas in perpetuum manere ordinavimus, nec umquam clericos utriusque linguae gnoscos deesse confidimus. » (³) — Et profecto neque legislatoria auctoritate neque ecclesiastica opus erat in iis constituentibus, quae leges exsequendas unice spectabant et hodie quoque Principis esse non ambigitur.

Ex veteris jurisprudentiae monumentis ita jam viam indicare nobis licuit, quam singulae summi imperii partes in Institutione procuranda tenuerunt; nec in his confirmandis diplomatum defuit auctoritas. Verumtamen quum Sacrosancti Conciliorum Canones quaedam his temporibus, ut postea saepe, constituisse videantur, nostra intererit, quanti ea aestimanda sint, paucis investigare.

Qui secularis Principis potestatem contra Ecclesiam

(¹) Cf. LAUNOIJUS, *de Scholis cel.* passim.

(²) Genuinum illud esse non est quod hodie dubitetur. Vid. LAUNOIJUS, cap. 9. et J. MÖSER, *Osn. Gesch.* I. p. 5. §. 34.

(³) Apud MIRAEUM, *Codex Diplomaticus*, pag. 16. ep. 12, *Codicis Donationum Piarum.*

vindicavit BALUZIUS (¹) non modo illud probavit, capitularia de ecclesiasticis rebus statuentia neque Pontificum sanctionis indiguisse neque Conciliorum, sed una cum Canonibus parem auctoritatem habuisse, verum etiam praeclare monuit, Canones contra comprobatos fuisse Principum auctoritate. Hinc Concilia ita religiose custodirent Principis decreta, ut coram Episcopis publice legerentur et saepe numero in constitutionibus Conciliorum ad verbum promulgarentur, quo melius ubivis observari possent. Quemadmodum igitur capitularia ab Ecclesia dicta sunt Canonum *pedisequa*, (²) ita ipsi Canones in rebus civilibus non aliter habiti fuerunt, cuius rei exemplum est apud CAROLUM CALVUM, qui alicui constitutioni monitum subjecit: «ut episcopi sub occasione quasi auctoritatem habeant canonum his constitutis excellentiae nostrae nequaquam resultant aut negligant.» (³) Quibus omnibus jam fit manifestum, unde tot eriperint ex capitularibus in Conciliorum canones decreta, quum scilicet episcopi, ut ipsi testantur, haud raro non nova condentes sed *quae a majoribus secundum tramitem Sanctorum Scripturarum statuta et a Christianis Imperatoribus et regibus promulgata* (⁴) erant per Canones renovaverint.

Quam ob rem *quae de Institutione statuerunt Episcopi in Conciliis*, ea originem habere et fontem capitu-

(¹) In praefatione ad *Capitularia*, §. 10 seqq.

(²) In Concilio Troslejano anni 909 cap. 3. apud SIRMONDUM, *Conc. G. T. III.* pag. 541.

(³) Cap. Tolosani anni 844 tit. 5. c. 8. SIRMONDUS, o. c. T. III. pag. 4.

(⁴) Verba sunt praefationis Canonum Concilii anni 881.

laria, affirmare non dubitaverim; ita, ut non nova moliri sed communibus legibus parere studuerint clericci, quoties in Conciliis Institutionis curam gesserint.

Non alia idcirco tribuenda est Episcopis in Conciliis congregatis persona, nisi mandatariorum. Quae sententia ut legitimo comprobetur testimonio, iterum nobis succurrunt Episcopi verba in epistola 28, FROTHARII ad HETTI Archiepiscopum Trevirensim, ubi: «nunc autem, »inquit, in proximo est placitum quo sine dubio scisci- »tabitur de obtemperatione mandati sui Dominus man- »dati.»⁽¹⁾ — Idem exprimunt Episcopi in ipso, quod Institutionem quoque spectat, Concilio Cabilonensi se- cundo anni 813, ubi quales se professi sint non legisla- tores sed Imperatoris fideles et publici mandati exsecuto- res, facile intelligitur ex his verbis: «de quibusdam rebus, »in quibus nobis emendatio necessaria videbatur, quae- »dam capitula, quae subter inserta sunt, eidem Domino »praesentanda et *ad ejus sacratissimum judicium referenda* »adnotavimus: quatenus ejus prudente examine ea, quae »rationabiliter decrevimus *confirmentur*, sicubi minus »aliquid egimus, illius sapientia suppleatur» — et porro cap. 3: «oportet etiam *ut sicut Dominus Imp. Carolus* »*praecepit*, Scholas constituant in quibus et litteraria sol- »lertia disciplinae et sacrae scripturae documenta discan- »tur etc.»⁽²⁾

Ecclesiae igitur consuetudines, ut sententiae nostrae aduersentur tantum abest, ut eam omnino comprobare

(1) Cf. BALUZIUS praef. §. 19.

(2) SIRMONDUS, *Conc. Galliae*, T. III. pag. 308.

sint dicendae. Quod si quis forte miretur, quo pacto nulla extiterit legislatoriae potestatis cum ecclesiastica collisio, reputet secum, eorum, qui Conciliis aderant Episcopi, multos quoque honorificentissimam in Placito sedem occupasse, ita ut diversa corpora, iisdem animis eademque voluntate conjuncta, suis finibus continerentur.

Haec de CAROLO Imperatore dicta sufficient. Quod si mira quadam prudentia in rebus publicis administrandis ita usus sit, ut dignus habitus fuerit ab aequalibus qui cognomine Magnus diceretur, haud secus, quantopere in novis legibus ferendis civium jura optime custodiverit, testis est Institutio Publica. Quare mirum non est de hujus Imperatoris legibus scribi potuisse, eas tam augustas tam sacrosanctas habitas fuisse, ut cetera potius jura omnia divina et humana dissimulari obrogarique, quam ipsas violare praferrent. (1) Quod, utrum de ejus successoribus peraeque dicendum valeat, nunc suo loco erit explorandum.

§. 4. Gallia Carolingica post Carolum M.

Etsi, quae quidem vulgaris est sententia, post CAROLI mortem ita sensim commutata sit Francorum imperii conditio, ut omnia ejus perierint sapientissimi regiminis monumenta, illud tamen rebus magis quam personis tribuendum esse existimo. Illius quidem successorem LUDOVICUM PIUM contendere non dubito, in paternis consiliis tuendis nisi semper potestatem at certe voluntatem habuisse.

(1) HEROLDUS in praef. ad Codicem legum antiquarum.

Etenim, uti CAROLUS ex confusi et extiti paene juris vestigiis partes suas vindicando, suas etiam populo concedendo, in Institutione Publica ordinanda juris fines optime restituit atque communavit, sic quoque LUDOVICUS Imperator, eandem secutus viam, paternam justitiam atque aequitatem ea in re tam pie coluit, ut fere dignus videatur qui pari laude celebretur. Hanc suam voluntatem comprobavit, quum in diversas regni provincias Missos suos destinaret qui de juribus fidelium et de legum executione cognoscerent, ita monens: — « quamquam summa hujus ministerii in nostra persona consistere videatur tamen et divina auctoritate et humana ordinatione ita per partes divisa esse cognoscitur ut unusquisque vestrum in suo loco et ordine partem nostri ministerii habere cognoscatur. » ⁽¹⁾

Tanta aequitate et liberalitate hic quoque rex voluit acceptam velut ex paterna hereditate civium libertatem firmissimis communire praesidiis. Ita quum anno 817 in conventu Aquisgranensi, clerici de monachorum vita et conversatione ordinationem tulissent et inter alia hoc statuisserunt: « Schola in monasterio non habeatur nisi eorum qui oblati sunt » — ⁽²⁾ illud sua auctoritate munivit Imperator et tamquam capitulum observari voluit; quo factum est ut monastica Institutio ab ecclesiastica majori discrimine discerneretur. Haud secus in publicis Scholis propagandis patris curam et morem habuisse ostendit supradicta Instructio Missorum Dominicorum anni 823. Cap. 5 his verbis: « Scholae sane ad filios et ministros ecclesiae in-

⁽¹⁾ Cap. anni 823, c. 3. ap. BALUZIUM, T. I. pag. 633.

⁽²⁾ Cap. anni 817, c. 45. ap. BALUZIUM, T. I. pag. 585.

»struendos vel edocendos sicut nobis praeterito tempore
»ad Attiniacum promisistis, et nobis injunximus, in con-
»gruis locis, ubi nondum perfectum est, a vobis ordinari
»non neglegant. »⁽¹⁾

Laudabile illud principis studium suo auxilio juvarunt Episcopi anno 829 in Concilio Parisiensi sexto rogantes, ut publicas Scholas sua auctoritate constitueret LUDOVICUS; ⁽²⁾ quibus et apprime docemur, sensisse Episcopos quam parum ipsi valerent ad peragendum id, quod vellent, qui Principis auctoritatem invocaverint. Similiter de Scholarum disciplina, quae tamen una erat ecclesiastica, nihil quidquam edixerunt, nisi Principis mandatum respicientes, cuius rei exemplum nobis exhibet idem Concilium Parisiense, ubi regia auctoritas ita celebratur: «Jam dudum
»a pio et orthodoxo principe domino Hludovico Deo ama-
»bili Imperatore jussum et admonitum est, ut rectores
»ecclesiarum in ecclesiis sibi commissis, strenuos milites
»Christi, quibus Deus placari possit, praepararent et edu-
»carent..... Sed super hac ejusdem principis admonitione

(1) BALUZIUS, o. c. T. I. pag. 634.

(2) Verba Concilii haec sunt: «Similiter obnixe ac suppliciter
»vestrae Celsitudini suggestimus, ut morem paternum sequentes,
»saltē in tribus congruentissimis Imperii vestri locis Scholae publi-
»cae ex vestra auctoritate fiant, ut labor patris vestri et vester, per
»incuriam, quod absit, labefactando non pereat, quoniam ex hoc
»facto et magno utilitas et honor Sanctae Dei Ecclesiae et vobis magnum
»mercedis emolumentum et memoria sempiterna accrescat. » — Vid.
SIRMONDUS, *Conc. Gal.* T. II. pag. 549. cap. 12. — Ceterum,
quod ad h. l. monuit LAUNOIJ, CAROLUM in votis habuisse, ut hae
Scholae in tribus locis excitarentur, ex Concilii verbis explicare non-
dum potui.

»immo jussione a nonnullis rectoribus tepide et desidiose
»hactenus actum est. Unde omnibus nobis visum est ut
»abhinc postposita totius temporis negligentia, ab omnibus
»diligentiis in educandis et erudiendis militibus Christi et
»vigilantiis adhibeatur diligentia et quandiu ad provinciale
»episcoporum Concilium ventum fuerit, unusquisque recto-
»rum, sicut jam in praecedentibus memoratum est, Scholas-
»ticos suos eidem Concilio adesse faciat, ut suum solers stu-
»dium circa divinum cultum omnibus manifestum fiat. »⁽¹⁾

Haec tamenetsi eundem adhuc spirant animum candem-
que, qua CAROLI res gestae sunt, imperii normam, ea
tamen jam, tum quum promulgabantur, erant tempora,
quibus adversus terrarum dominos nova exoriebatur ex
Paparum sede Apostolica dimicatio. Praeterierant enim
tempora, quum papali dicto parere et Romano Concilio
interesse absque principis auctoritate non auderent ci-
ves; ⁽²⁾ quum secularem potestatem invocare magis quam
labefactare studerent Pontifices. Tum vero, extincto pau-
latim cum CAROLO imperii vigore, cum in eo essent Ludo-
vici successores, ut gladio dimicarent de summa potestate,
quam Magnus ille sua prudentia et moribus fundaverat,
non potuit, quin ejus potestatis pars aliqua ex armorum
turba et seditionibus in manus gliseret Pontificum Roma-
norum, qui jam secundum Apostolum non sibi collectatio-
nem cum carne et sanguine, sed adversus principes et potes-
tates esse, publice profitebantur. ⁽³⁾

⁽¹⁾ SIRMONDUS, T. II. pag. 505. N.^o 30.

⁽²⁾ Cf. EICHHORN, Deutsche St. u. R. Gesch. T. I. §. 174.

⁽³⁾ Ita Papa JOANNES VIII in Epistola ad Episc. Germ. apud LABBÉ,
Conc. T. IX. p. 224. — Cf. EICHHORN, o. l. T. II, §. 209.

Igitur pace post arma composita, quum magnum dissolvetur Francorum imperium tandemque, quas sibi vindicaverant partes, placida quiete possidebant Imperatores, ita mutata erat universa reipublicae conditio, ut *vix CAROLI M. hereditatem agnosceres. Sic, ut cum SALLUSTIO dicatur, imperium facile his artibus retinetur, quibus initio partum est, fortuna simul cum moribus immutatur.* ⁽¹⁾

In ista erant conditione variae imperii Carolingici partes, quum patria nostra partim a Gallia divelleretur et Germanico imperio se adscribi passa est. Ut saepe postea, ita nunc facta est campus bellorum, quibus Imperatores de regionibus inter se disceptabant, ita ut bellicis utique virtutibus insignes cives militaris rei curam fere unicam habuerint. Nihil quidem mutavit hoc tempore Episcoporum voluntates, ita ut Institutionis rem in Conciliis tueri eorumque Canones Principum confirmationi offerre perrexerint, sed turbata reipublicae conditio aliorum animos avocabat. Ita quum anno 855 monuissent Episcopi de Scholis ordinandis, ⁽²⁾ etsi eorum decretum confirmaverit Imp. CAROLUS CALVUS, illud tamen tam exiguae fuit auctoritatis, ut jam anno 859 monitum suum renovare et nunc quidem omnes Principes simul commoneri decre-

⁽¹⁾ *Bell. Cat.* cap. 2.

⁽²⁾ In Concilio scilicet Valentino III, ubi leguntur «Ut de Scholis tam divinae quam humanae litteraturae nec non et ecclesiasticae cantilenae, juxta exemplum praedecessorum nostrorum, aliquid inter nos tractetur, etsi potest fieri, statuatur atque ordinetur, quia et hujus studia longa intermissione pleraque ecclesiarum Dei loca et ignorantia fidei et totius scientiae inopia invasit.» Cf. SIRMONDUS, *Con. Gal. T. III.* pag. 104. cap. 18.

verint. (1) Utriusque decreti verba ideo imprimis digna sunt quae adnotentur, quum, facto in iis eruditionem *divinam* inter et *humanam* discrimine, exemplo nos doceant, hanc alteram quoque tuendo, ad majorem quotidie in rebus humanis auctoritatem capescendam studuisse clericos.

Quantopere vero sub ultimis Carolingiae stirpis imperatoribus summum imperium clericorum auctoritate collabefactum fuerit et legislatoria potestas in tristissimam abiret servitutem, si hujus temporis capitularia cum prioribus conferas, palam erit atque manifestum. Pro vigore timor, pro concordia diffidentia, et qui leges supplicare consueverant, nunc aut se rebus ipsi inmiscere, aut imperare audacter audebant. Accrescit legum numerus de rebus litigiosis, cum, quae administrativae dicuntur, aut civiles, aut penales parum curentur. Ecclesia ut ante fuerat cum Civitate unum quasi corpus, cui una erat voluntas, nuncrupto ligamine cum seculari potestate maiores quotidie contrahebat inimicitias. (2)

Itaque quum in Gallia adhuc clericorum imperio obsta-

(1) In Concilio, quod apud Saponarias fuit celebratum, hoc modo : « Deprecandi sunt pii principes nostri et omnes fratres et episcopi nostri instantissime commonendi, ut, ubique omnipotens Deus idoneos ad docendum i. e. fideliter et veraciter intelligentes donare dignatur, constituantur undique Scholae publicae, scilicet ut utriusque eruditionis, et divinae scilicet et humanae, in Ecclesia Dei fructus valeat accrescere, quia quod nimis dolendum est et pernici sum maxime, divinae scripturae verax et fidelis intelligentia jam ita dilabitur ut vix ejus extrema vestigia reperiantur et idecirco ingenti cura et studio remedium procurandum est. » — SIRMONDUS, o. l. T. III. pag. 155. cap. 10.

(2) Cf. Coss. GUIZOTUS, *Histoire de la Civ. en France*, Lect. 25.

ret Principis auctoritas et vetus in publicis rebus procurandis consuetudo, in patria nostra contra tristissima imperii conditione factum est, ut quodcunque eruditionis et educationis seculi calamitatem subtersfugeret, omne penes clericos permaneret et ecclesiastica tantum gauderet tutela.

Intestino ubique flagrante bello, magis vero barbarorum invasione turbata civitas, armatos magis quam litteratos quaeritabat, deficientibus etiam per quos suos quisque fines defenderet. Ita dirutis urbibus, ecclesiis incendio vastatis, quum intra fugam et caedem omnis periclitaretur civium salus, Eruditionis et Institutionis palladia tam duri atque ferrei saeculi fortunam vix perpessa fuerunt. Sic, quod ex Ultrajectina Schola, in alium deducta locum, supererat, pristinam imaginem vix referebat; ⁽¹⁾ neque dubium, quin haud melior fuerit ceterarum Scholarum conditio, ⁽²⁾ litterarum scilicet studiis, quae ad civilem quoque vitae usum jam converti coeperant, ubivis theologiae finibus adstrictis.

In tanta rerum turba, ut sibi majores quotidie summi imperii partes in Publica quoque Institutione vindicaret clerus, peropportuna profecto erat Civitatis conditio-

(¹) De fatis hujus Scholae Cf. cum Coss. ASCH VAN WIJCK in op. cit. tum D. BUDDINGH, *Geschiedenis van Opv. en Onderw.* Hagae 1842. §. 4. et Dr. F. CRAMER, in opere laud., ubi de natura Institutionis his temporibus ejusque divisione et fatis plura consuli merentur.

(²) De hac tristi patriae conditione cf. J. H. VAN BOLHUIS, *De Noormannen in Nederland*, 1834. pag. 217.

Eousque jam pervenerat Ecclesia, ut mandatam quam habebat a Principe juventutis instituendae curam, sibi jam propriam habere coepisset. His angustiis quomodo se expediterit Institutio, et quas vias in his tenuerit Jus Civitatis, indicabit nobis sequens aetas.

CAPUT SECUNDUM.

DE PUBLICA INSTITUTIONIS CURA AB INEUNTE SECULO DECIMO USQUE AD COMMUNITATUM ORIGINEM.

§. 1. *Civitatis atque Institutionis conditio hac
aetate universe qualis fuerit.*

Dicendum nunc est de illis temporibus, quibus civitates in Europae Occidente ex durissimorum cum externis hostibus bellorum calamitatibus convalescentes, intestino malo contabuere, imperio scilicet in anarchiam verso.

Belgii major pars pacto Verodunensi Germanico Imperio quamquam adscripta fuerat, ejus tamen status politicus, utut jure mutatus, revera diu mansit idem. Itaque conjuncta cum illa brevi post cum esset Lotharingia, Belgium confer universum, quamvis Germaniae finibus legibusque contineretur, Gallica instituta initio conservavit: quae enim pro diversa rerum ratione apud Gallos atque apud Germanos alia facta sunt, ea sensim mutavit sequens aetas. (¹) Manebat igitur summi principis jus indivisum,

(¹) F. W. PESTEL, *Commentarii de Republica Batava*, L. B. 1795.
T. I. §. 4.

modo auctoritate Procerum regni prudenter temperatum, ita tamen, ut rerum communi consensu pertractandarum ratio nulla lege sed usu tantum esset definita. (¹) Haud secus Duces et Comites manebant magistratus imperatorii, qui perfuncti officiis munus suum amittebant. Postquam vero ipsi Imperatores in eo tacite consenserant, ut munera illa sive beneficia hereditaria fierent et in *feuda* transmutarentur; fieri aliter non potuit, quam ut seculare imperium, cuius vim atque dignitatem egregie tuitus fuerat CAROLUS MAGNUS, paulatim labefactatum atque concisum, Vasallorum cupiditatibus coeperit appeti et ex Imperatorum manibus elabi. Sic Ecclesia, cuius, ut se majori investiret auctoritate, assiduos jam vidimus conatus, optatam nacta est opportunitatem, ut eo, ad quod tetenderat, potiretur primumque in Civitate locum occuparet. Hinc Clericorum ordo summis honoribus et muneribus insignis; hinc ipsi episcopi terrarum domini exercituumque duces. (²)

Qualis inde civitatis conditio esse debuerit, colligere licet, etiamsi tacente historia. Qui varias summi imperii partes tenebant, nullo fere adstricti vinculo, sua non Civitatis spectabant commoda, quae, prouti animus ferebat, aut armis aut Ecclesiae praesidiis tuebantur. Tempora igitur, quae jam artium et litterarum studiis quodammodo illustrata fuerant, ea exceptit aetas, quam, si Institutionem saltem cogitaveris, non immerito *ferreum atque infaustum* seculum dixerunt scriptores. (³) Deerat summo

(¹) EICHHORN, *Deutsche St. u. Rechts G. T.* II. §. 290 seqq.

(²) PESTEL, o. c. pag. 16 seq.

(³) MABILLON, *Annales Bened.*, ad annum 901.

Principi non modo litterarum amor, deerant et vires, quibus si voluiset, studia procuraret, vasallorum scilicet juribus et potestate obsistentibus. Quamobrem, sicuti hac aetate historia omnino magis est historia Feudorum quam Civitatum, ita quoque quae de juventutis instituendi ratione legis auctoritate invaluerunt, si pauca excipias, apud Germanici Imperii Rectorem frustra quaesieris. ⁽¹⁾ Vasalli autem quominus studiis faverent, impedimento erat continuo turbata Feudorum conditio. Atque ita factum est, ut, si quid litterarum ex illius seculi procellis potuit servari, id clericorum tutelae debeatur.

Refectis post barbarorum invasionem ecclesiis et quae cum iis conjunctae erant Scholis, Institutio quidem, quoad canonicam spectabat doctrinam, sua habuit eruditorum viorum umbracula, e quibus Leodiense ⁽²⁾ EURAKLI ⁽³⁾ et NOTKERI ⁽⁴⁾ tempore prae ceteris lubet laudare; attamen laicorum si qui essent litterarum avidi, monasticam fere unicam habebant Scholam et magistros «cucullato capite» obambulantes. Nam etsi extra controversiam esse videatur,

(¹) De legibus imperii bac aetate testatur EICHHORN, o. c. T. II. §. 262. »es waren deren aber so wenige und ihr Inhalt auf einen so engen Kreis von Gegenständen eingeschränkt, dass sie bei weiten nicht als ein Ersatz für die ausser Gebrauch gekommenen Capitulalien dienen konnten.«

(²) Cf. *Gesta Episcoporum Leodiensium*, in MARTENE et DURAND, *Veterum Scriptorum ampl. collectio*, T. IV. pag. 864.

(³) Is totam Leodiensem ecclesiam imo totam provinciam, nullis hactenus studiis illustratam ad studium cooptavit, Scholas constituit. — Vid. *Historia Monasterii Sti Laurentii Leodiensis*, c. 1. apud MARTENE et DURAND, o. c. T. IV. p. 1035.

(⁴) MABILLON, *Ann. L. IV.* passim.

Scholas canonicas (1) laicis quoque patuisse, (2) *quibus alendis*, ut de Schola Leodiensi perhibetur, *sua seorsum erat disciplina*, tamen quam exigua ibi fuerit popularis, ut ita dicam, eruditionis cura, inde colligitur, quod, cum Schola duabus constaret partibus altera *externa*, *interna* altera, (3) illa, quae proprie laicorum liberis inserviebat, haud raro alterius, nempe theologicae, facta sit quasi ποταμίδευμα. (4) His Canonicorum Scholis aliquid proprium tamen fuit, quo cum iis quaedam secularis potestatis necessitudo intercessit. Quum enim mos invaluissest ipsos imperatores in consortium Canonicorum cooptandi, eo ad Scholarum curam quoque propius accedebant principes vel saltem in his praevalere potuit eorum auctoritas. (5) Sic praecipuae canonicorum Scholae in patria nostra Ultrajectina et Leodiensis suum habuerunt Canonicum fratrem Imperatorem. (6)

Ceterum in juventutis Institutionem majoris momenti hac aetate fuerunt monasteria. Prae ceteris laudantur Hasnoniense, Gemblacense, Andaginense aliaque in meridionalibus Belgii provinciis; tum in Frisia apud Aduwert et Bedum,

(1) De Scholarum divisione in *Canonicas et Claustrales* diximus supra ad actatem CAROLI M.

(2) Cf. J. H. BOEHMER, *Jus Ecclesiasticum Protestantium*, Halae 1743. T. II. pag. 124. ibique citati; et T. IV. pag. 704.

(3) Hinc quoque Scholasticus dicitur sive *interior* sive *exterior* in *Historia Monasterii Andaginensis* in *Veterum Script. Coll.* laud. T. IV. pag. 924.

(4) Cf. F. CRAMER, *Geschiedenis van Opo. en Ond.* p. 117.

(5) J. H. BOEHMER, o. c. T. II. pag. 132.

(6) A. MATTHAEI, Lib. II, *de Nobilitate*, c. 48. pag. 744.

quae celebritate floruerunt; (¹) sed ut de his prolixius agatur vetat argumenti ratio.

Omnes hae qualescumque Scholae, etsi illustres nonnumquam habuerint Scholares, Comitum filios aliorumque nobilium, (²) ecclesiasticae tamen disciplinae unice parebant, ita ut, qui in patria nostra princeps erat clericorum, is quin omni praeesset Institutioni eamque totam regeret atque gubernaret, dubitari vix potest; quin etiam Scholasticus, qui in Scholis lectionibus praeerat, ecclesiastico munere fungebatur. Unde instituendi ratio theologicis studiis accommodata fuit quam maxime, (³) et litterarum praesertim detimento in Occidente unice facta est ecclesiastica. (⁴)

Quo magis vero ita secularis imperii juribus ubique splendebat ordo clericorum, tanto magis laicorum animi exardescabant quotidie juris et libertatis studio, et qui labantem hierarchiae molem sustentare cupiebant, hi, defientibus ecclesiae armis, palam invocare jam cogeabantur militum auxilium, ut adversus terrarum Principes Ecclesiam tueri possent. Successerunt quidem bella sacra, unde nova

(¹) De his omnibus consuli merentur J. H. BOEHMER, *Jus. Eccl. Prot.* I. I. H. CORRINGUS, *de Antiquitatibus Academicis*, Helmst. 1674. impr. pag. 294 sqq. Add. F. CRAMER, in o. c. pag. 128. et D. BUDDINCH, o. c. T. I. pag. 26 seq.

(²) Vid. G. VAN LOON, *Beschrijving der aloude Regeringswijze van Holland*, 1744. T. II. pag. 72.

(³) De natura Institutionis et indeole hac aetate vid. THOMASINUS, *Vetus et nova Ecclesiae disciplina*, Part. II. L. I. c. 99 seqq. Lugd. 1705. T. II. pag. 296. Coll. F. CRAMER, o. c. pag. 145. 146.

(⁴) HEEREN, *Gesch. des Studiums der klass. Litt. Lib.* II. §. 6. 24 et 30.

sibi dignitatis praesidia comparare licuit Ecclesiae: verum tamen ipsi quoque Europae populi novas inde petivere vires, quas Paparum opponerent auctoritati. Sic interlucet jam diluculum quoddam melioris aevi, quo perinde Institutio expurgans in melius quodammodo mutari coepit et magis quam antea vigere.

Nam praeterquam quod a clero et clericorum Institutis major in dies fieret laicorum emancipatio, postquam totius Germaniae princeps compedibus Romae sese expedire studebat; irrepserat quoque in monasteria tanta luxuria et morum corruptela, ut in vile lucri studium omnis abiret eruditionis amor. ⁽¹⁾ Quae res quum Ecclesiam non lateret, ipsa Pontificis auctoritas nonnullas Scholas sustulisse dicitur; ⁽²⁾ quid? quod litterarum humana- rum studium dissuadere, vel saltem vituperare coepit Pontifex, ne eo rigor sanctitatis laederetur. ⁽³⁾ Quodsi inde jam cives magna haud dubie percepint incommoda, ita ut ad Institutionem procurandam ultro invitarentur, aliud quid majus accessit, quo fieri debuit, ut ab ecclesiastica Institutione alieni de majoribus paulatim libertatis suae praesidiis cogitaverint.

Eiusmodi enim erat seculi indeoles, ut qui mentem intentam haberent in magnam illam Pontificis cum Imperatore luctationem, quid juris esset magis coeperint sentire. Ita sensim ad Canonica jura multi animos impulerunt et juris studium hactenus neglectum in Scholis excoli coe-

⁽¹⁾ HEEREN, o. I. §. 54. in nota.

⁽²⁾ CRAMER, o. c. pag. 162.

⁽³⁾ Ita GREGORIUS VII, ut videre est in ejus *Libri XII Epistola- rum*, L. IX. Epist. 4.

pit. Jam ut disciplinarum humanarum regionem ingredetur inibi erat Institutio. Quod quum intelligerent pontifices, pluribus editis constitutionibus, edixerunt ne clerici in jure civili edocendo versarentur, veriti ne in theologica studia magnum damnum redundaret. ⁽¹⁾ Hujus rei primum exemplum dedit Concilium Remense anni 1131, ⁽²⁾ cuius Decretum postea confirmarunt et renovarunt Concilium Lateranense anni 1139, ⁽³⁾ Turonense anni 1163 ⁽⁴⁾ et anno 1180 P. ALEXANDER III statuens: «ut nulli omnino post votum religionis et post factam in aliquo loco religioso professionem ad physicam legesve mundanas legendas permittantur exire.» ⁽⁵⁾ His decretis quum nondum satis Ecclesiae cautum videretur, anno 1220 HONORIUS III ad archidiaconos, decanos, plebanos, praepositos, cantores, et alios clericos, personatus habentes, nec non presbyteros hoc extendi voluit. ⁽⁶⁾ Quae omnia non modo sollicitudinem indicant, qua Institutionem prosecta est Ecclesia, verum etiam, quoad theologica studia spectabant, jure ad clericorum curam pertinebant. Sublant quidem tanto studio furtiva quaedam jus civile

⁽¹⁾ De ea re Cf. F. C. von SAVIGNY, *Geschichte des Römischen Rechts im Mittelalter*, Heidelb. 1822. T. III. pag. 341.

⁽²⁾ MANSI, *Conciliorum Nova Collectio*, T. XXI. pag. 459.

⁽³⁾ MANSI, T. XXI. pag. 528.

⁽⁴⁾ Idem, ibidem pag. 1179.

⁽⁵⁾ C. 3. X. ne clerici vel monachi (III. 50).

⁽⁶⁾ C. 10. X. eodem. Decretalis verba restituit F. C. von SAVIGNY, über die *Decretale SUPER SPECULA* des Papstes Honorius in *Zeitschrift für Geschichtliche Rechts-Wissenschaft*, vol. VIII. pag. 225. Ubi legimus: «ne Parisiis vel in civitatibus seu aliis locis vicinis quisquam docere vel audere jus civile praesumat.»

labefactandi consilia; at si quid damni inde cives perceperint, id Civitatis negligentiae tribuendum est, cuius per ignaviam et socordiam juventutis Institutio tum misere habebatur. Ceterum ad clericorum disciplinam restituendam vix quidquam fecerunt pontifices; (¹) quominus monasteria antiquam auctoritatem recuperarent, non sivit effraenata morum licentia, qua monastica vita contaminari perrexit.

Verum ut ad ea, unde digressi sumus redeamus, his et similibus ipsa Ecclesia causam dedit laicis, ut ipsi ab antiqua instituendi consuetudine recederent novasque vias sibi indagarent. Hinc Universitates omnium in se oculos converterunt et plures jam Belgicae Nobilitatis juvenes suis gremiis receperunt. Verum etiam quibus ita peregrinari non placebat, illi, spretis Scholis monasticis, canonicas nunc frequentare maluerunt. Cujus rei causa quaerenda esse videtur in necessitudine, quae ecclesias inter et terrarum dominos variis juris vinculis intercessit Paulatim. (²) At ne hoc quidem silentio praeterire licet, quanta fuerit his temporibus equestris ordinis gratia; quo illud enim obtinuit, ut principum aulae quasi gymnasia factae sint juventutis, ubi ad aulicas virtutes et arma penitus instituebatur: nova quodammodo Institutio-
nis palladia, ab omni libera ecclesiae tutela. (³)

Singula haec, quae ad historiam pertinent Institutionis

(¹) Quae hic pertinent vid. apud BOEHMER, o. c. ad X de magistris (V. 5.)

(²) F. CRAMER, o. c. pag. 255 seqq.

(³) Vid. DE LA CURNE DE SAINTE-PALAYE, *Mémoires sur l'ancienne Chevalerie*, Paris 1781, T. I. pag. 2 seqq. et 36. Not. 9.

hac aetate , etsi angustus tantum esset tractandi locus , ad ejus conditionem adumbrandam dicta sufficient . Unum tamen superest , publici juris fatum , quod hic notasse refert , ne quis temere dictum putet , quod in exordio hujus capitis monuimus , Civitatis rectorem Institutionem legis dispositionibus parum procurasse . Quum enim sub Carolingorum imperio ea , quae Procerum consensu fuerunt constituta , nonnumquam originem duxerint ab ordinis clericorum rogatione , hoc idem quidni in Germanici imperii Placitis obtinuerit , mirum videri posset . Verum enim vero locum , quem in his Placitis tenuit clerus , mutavit temporum ratio , ita ut , qui ex ecclesiastico ordine iis aderant , illud muneri suo imperiali deberent non vero Ecclesiae . Hinc latente sub imperii insignibus Ecclesiae auctoritate , factum est , ut rerum spiritualium cura Procerum suffragiis magis magisque exciderit et Civitas minus semper valeret ad Ecclesiae potestatem circumscribendam , ubi tot negotia , sicut juventutis cura , spiritualium numero haberentur . ⁽¹⁾

Inde tenebris et caligine circumfusa Institutio non modo nullis fere viguit legis dispositionibus , verum etiam principis curam vix ac ne vix quidem est experta . Atqui eo factum est , ut de instituendi ratione privati cogitarent et litterarum patrocinium ipsi susciperent , unde *Universitates* paulatim exsisterunt et *Scholae Patrimoniales* , quae quum eo maxime duxerint , ut adversus Ecclesiam jus suum vindicaret Civitas , nunc singulis locis ex origine sua et incrementis examinanda veniunt .

(1) EICHHORN , *Deutsche St. u. R. G. T. II.* §. 292.

§. 2. *De Universitatum Origine.*

Quas recentiores Academias dixerunt sive Universitates, ⁽¹⁾ earum historiam si a primis originibus repetamus, numquam sub aspectum veniunt jucundiores neque dulciores, quam illis temporibus, quibus rivuli, ex quorum confluentia concursu increverunt, per arenas et deserta scaturientes, aquis suis sitientes, ut ita dicam, litterarum campos refecerunt. Etenim dum ubique artium et disciplinarum studia, omnibus juris publici vinculis soluta, languent prorsus civiumque commercio eximuntur, in meridionali Europae parte corpora illa nascuntur *Magistrorum* et *Scholarium*, quibus licuit de studiis liberalibus inter se libere communicare et ingenii facultates ultra theologiae terminos explicare.

Jam dudum profligatus est error eorum, qui *Universitatum* originem ex Charta quadam imperiali aut Bulla repetendam esse existimarunt. Hi, priusquam de Constitutione quadam mentio occurrit, nullam agnoscent *Universitatem*. At vero recentiores, quibus adnumerandus est

(¹) Discremen inter Academias et Universitates sibi proposuit C. MEINERS, *Geschichte der Entstehung und Entwicklung der Hohen Schulen*, Göt. 1802. 3 vol. initio. Ibi Academiae dicuntur unius doctrinae sive disciplinae Scholae, contra Universitates omnium. Nihil tamen est quod ejusmodi definitiones comprobare videatur, verum ubique in antiquis codicibus promiscue leguntur *Universitas*, *Studium Universale* et *Gymnasium*; quin et in Bulla anni 1422 de Schola Montepessulana statuitur ut ibi: «studium generale theologiae facultatis existat.» Quare illud discremen in antiquitate rejiciendum esse existimo. Ceterum opus Cons. MEINERS judicavit von SAVIGNY, *Gesch. des R. R.* T. III. pag. 136.

imprimis cel. VON SAVIGNY extra controversiam posuerunt, Universitates originem duxisse ex sodalitio quodam discipulorum cum magistro ad has illasve studiorum partes interpretandas. Qui sic mutua voluntate et benevolentia convenerant, postea ex aucto numero, regulas quasdam condere et statuta coepere, quibus qui societatis erant sodales tenerentur suumque jus tamquam ex contractu persequi possent. ⁽¹⁾ Nostrum non est singula, quibus ea sententia nititur, expromere. Satis foret, ut contraria sententia refellatur, unum exemplum afferre delegatorum urbis Vercellarum, qui anno 1228 cum Scholaribus quibusdam Scholae Paduensis contractum octennium iniisse dicuntur de *studio* Vercellis instituendo. ⁽²⁾ Ita harum Universitatum neque melior erat initio neque inferior sed par cum caeteris civium societatibus conditio. Postquam vero, finibus suis extensis et prolatis, ita tandem splendere coeperunt, ut quas habitarent urbes, omnium civitatum oculos ad se converterent, ipsi principes intellexerunt se posse earum gratiam comparare, si quando nominis dignitatem amplificarent et summis honoribus condecorarent tam illustria studiorum domicilia. ⁽³⁾ Hujus rei primum exemplum dedit

(¹) Cum his conferri merentur ea, quae commentatus est THOMASINUS in opere: *Vetus et nova Ecclesiae disciplina*, P. II. L. 1. c. 100. pag. 303. «Constat, inquit, Universitates ab iis manasse »Scholis, quae in ecclesiis ante Cathedralibus effulserant.»

(²) F. A. ZACHARIAE, *Iter litterarium*, Venet. 1762. pag. 142 seqq.

(³) Eo spectant verba HEYNII in *Opusc. Acad.* vol. IV. pag. 305. «Per corporum et collegiorum jura illo tempore nihil non constituebatur, ipsae religiones ac sacra in manu certorum ordinum erant, quid mirum, si litterarum quoque profitendarum jus certis corporibus in collegia dispergitis fuit datum.»

Imp. FREDERICUS I anno 1158, maxime ut videtur ratione
habita Scholae Bononiensis, ⁽¹⁾ cujus famam jam per
universum Europae orbem pervolitaverat. Hic *habita*
diligenti Inquisitione Episcoporum, Abbatum, Ducum,
omnium judicum et aliorum Procerum Palatii examinatione
apud Roncalias decrevit ut 1^o qui studiorum causa pere-
grinarentur securi essent et habitarent et 2^o ut ad lites suas
componendas suum haberent forum privilegium coram
domino vel magistro suo vel ipsius civitatis episcopo, qui-
bus haec jurisdictione data erat. ⁽²⁾ Quodsi Bononiam
imprimis spectasse videatur Imperator, tamen quominus

(1) VON SAVIGNY, o. c. T. III. pag. 152.

(2) Authentica HABITA, C ne filius pro patre (IV. 13). «Habita....
»omnibus, qui causa studiorum peregrinantur, Scholaribus, et
»maxime divinarum atque sacrarum legum Professoribus, hoc nos-
»trae pietatis beneficium indulgemus, ut ad loca, in quibus litterarum
»exercentur studia, tam ipsi, quam eorum nuncii, veniant et in eis
»secure habitent.» — Et porro: «Hac igitur generali, et in perpetuum
»valitura lege decernimus, ut nullus de caetero tam audax inveniatur,
»qui aliquam Scholaribus injuriam inferre praesumat, nec ob alterius
»cujuscunque provinciae delictum, sive debitum (quod aliquando
»ex perversa consuetudine factum audivimus) aliquod damnum eis
»infierat: scituris hujusmodi sacrae constitutionis temeritoribus, et
»etiam ipsis locorum Rectoribus, qui hoc vindicare neglexerint,
»restitutionem rerum allatarum ab omnibus exigendam in quadru-
»plum, notaque infamiae eis ipso jure irroganda, dignitate sua se
»carituros in perpetuum. Verum tamen si litem eis quispiam super
»aliquo negotio movere voluerit: hujus rei optione data Scholaribus,
»eos coram domino, vel magistro suo, vel ipsius civitatis Episcopo,
»(quibus hanc jurisdictionem dedimus) conveniat. Qui vero ad alium
»judicem eos trahere tentaverit, etiamsi causa justissima fuerit, a
»tali conamine cadat.»

de fundata universitate cogitetur vetat argumentum constitutionis, utpote qua privilegium tantum largitur princeps iis, qui amore scientiae exsules facti et multis periculis se exponentes litterarum studia exercebant.

Illud exemplum secuti multi postea principes similia impertiverunt privilegia in favorem eorum, quorum collegia, cum civitate necessitudine quadam adstricta tene-ri publicae rei intererat. Ita rex Franciae PHILIPPUS AUGUSTUS anno 1200 privilegium dedit Universitati Parisiensi de jurisdictione criminali, cui Scholares (quo nomine et magistri intelliguntur) ⁽¹⁾ subessent, postquam hi cum civibus inimicitias contraxerant. ⁽²⁾ Item LUDOVICUS IX anno 1230 de Schola Montepessulanensi statuit, omnes, qui vel-lent licentiandi et doctorandi in facultate canonica seu civili jurandum praestare, coram Episcopo Magalinensi fidem suam promittere oportere. ⁽³⁾ Imprimis hic nomi-nanda sunt privilegia Imp. CAROLI IV, alterum gymnasio Pisano ⁽⁴⁾ alterum Aretiis datum, quorum hoc jus concedi-tur studii generalis Scholae Aretinae, cuius statuta tamen jam anno ante condita erant a magistris, ita ut ejus studia restaurare magis quam instituere conatus sit Imperator. ⁽⁵⁾ At Universitatem Neapolitanam dicat quis revera principis decreto fuisse conditam. Fatemur, et summo jure id

(¹) VON SAVIGNY, o. c. T. III. p. 317.

(²) BULAEUS, *De Regimine Veterum Academiarum*, T. II. p. 370.

(³) Statutum exhibit BALUZIUS, *Vitae Paparum Avenionensium*, Parisiis 1693, T. I. pag. 976.

(⁴) VON SAVIGNY, l. l. pag. 311, ibique ANT. GATTI, *Gymnasti Ticinensis Historia*, Mediol. 1704, pag. 129.

(⁵) Idem pag. 295.

fecisse FREDERICUM II⁽¹⁾ contendimus. Verum illud urge-
mus, plerasque imo omnes fere origine sua liberas fuisse,
communis juris participes et ab Ecclesiae disciplina immu-
nes, ita ut clericorum fuisse existimandae sint adversarias
magis quam socias.

Atqui ex adornandis hisce Musarum sacrariis vel et
Pontifices commodis suis consuli posse intellexerunt. Ita
non modo Scholaribus Universitatum theologicarum pri-
vilegia erogarunt, cuius rei ALEXANDER III P. anno 1180
exemplum dedit in favorem Facultatis Parisiensis; ⁽²⁾ verum etiam omnes peraeque honores largiendo, quasi clien-
tium suorum numero adsciverunt. Bononiensis Universitatis
statuta comprobatione sua munivit Papa anno 1253, ⁽³⁾
Aurelianensi privilegia impertivit CLEMENS V, ⁽⁴⁾ in Schola
Pisana *studium generale* ordinavit CLEMENS VI, ⁽⁵⁾ BONI-
FACIUS IX in Schola Ferrariensi ⁽⁶⁾ et in Patavina idem
CLEMENS et URBANUS IV. ⁽⁷⁾ Quid? quod ad jus suum
persequendum Universitates nonnumquam *conservatores*
a Papa acceperunt, ⁽⁸⁾ imo veniam petiverunt sedis Apos-

(¹) Aliam sententiam tueretur MEINERS, o. c. I. pag. 353 qui ita,
nullis ceteroquin validis, ut videtur, argumentis, jus Institutionem
procurandi penes Civitatis rectorem fuisse hac aetate negat.

(²) C. 3. X. *de magistris* (V. 5).

(³) VON SAVIGNY, T. III. p. 164.

(⁴) Ap. BULAEUM, *de Reg. Vet. Acad.* T. IV. p. 101.

(⁵) Diploma habet A. FABRONI, *Historia Academiae Pisanae*,
T. VI. parte 3. L. B. 1722.

(⁶) VON SAVIGNY, T. III. p. 297.

(⁷) Exhibitetur Diploma in GRAEVII, *Thesauro Antiq. Ital.* T. VI.
parte 3. L. B. 1722.

(⁸) VON SAVIGNY, T. III. p. 185.

tolicae ut sibi liceret *Procuratorem* instituere ad agendum
in causis judicialibus. (¹)

Quibus omnibus manifestum est, Pontifices perinde ac Principes civitatum summo studio contendisse, ne omnem prorsus instituendi curam amitterent, quam privata sollicitudine prosequabantur cives. Quodsi Universitates amplificando novam iis quasi vitam saepe infuderint, plerumque tamen professi sunt, non nova se moliri sed ea, quae antiquitus invaluerant, emendare voluisse. (²) Quod autem Pontifices majorem, quam par erat, in Universitates auctoritatem sibi arrogarunt, ita ut aliquando Bononiae Archidiacono ab HONORIO III jus quoddam concessum fuerit tutelae in Scholarium promotione, (³) id tribuendum esse videtur necessitudini, qua institutio cum Ecclesia erat devincta per Scholas scilicet cathedralis. (⁴) Hinc e. c. Universitatis Parisiensis natura eo maxime facta est spiritualis, quod non raro auxilium implorare ab ecclesiis et monasteriis coacta fuerit. (⁵) Quae omnia quoque si illorum temporum memoriam repetimus, non facile quisquam mirabitur.

(¹) C. 7. X. *De procuratoribus* (I. 38).

(²) Egregie illud testatur in privilegio de Schola Patavina (v. supra): «In civitate Paduae de consuetudine inviolabiter ibidem observata tanto abhinc tempore, ut de ejus contrario memoria non exstet, vigens et viget adhuc in jure Canonico et Civili aliisque facultatibus praeter sacram theologiam studium generale, sicuti per totam Italiā et in aliis mundi partibus est aperte manifestum.»

(³) VON SAVIGNY (o. c. T. III, p. 206), exhibet Honorii statutum.

(⁴) Idem, ibidem pag. 207.

(⁵) BULAEUS, l. c. III. 568.

Verum tamen, si quod hactenus de Universitatibus diximus, paucis complectimur, quam longissime abest, ut iis tunc temporis opus fuisse sive Pontificis sive Principis auctoritate dicatur, ut rite constituerentur. (¹) Ut origine sua et natura liberae erant et ad liberaliora studia viam indicare studuerunt extra limina monasteriorum, ita quoque, si quos honores aut privilegia nactae sunt aut etiam ultro petiverunt, id non necessitatis fuisse sed tantum utilitatis videtur, quo scilicet qui Doctores creari solebant publice ubi agnoscerentur. (²) Perperam igitur etiam hodie papalem comprobationem celebrarunt nonnulli, (³) tamquam ad Universitates legitime constituendas necessarium. (⁴) De Theologiae studiis non dubitari quidem potest, quin eorum cura penes Apostolicam semper

(¹) Eadem sententia defenditur in: (E. MÜNCH) *die Freiheit des Unterrichtes, mit besonderer Rücksicht auf das Königreich der Niederlande*, Bonn 1829, pag. 37. «Auf den Universitäten des Mittelalters, jenen unschätzbarsten Stammhaltern der Gemeingutes der Civilisation, bestand allerdings die *Liberté de l'enseignement*, d. h. sie waren Freikörperschaften und literarische Republiken mit vielen politischen Rechten und bürgerlichen Gefreitheiten, von dem Papste wie von den Fürsten, die sie begünstigten und pflegten, unabhängig.»

(²) VON SAVIGNY, III. 337. EICHHORN, o. c. §. 266.

(³) Ita MEINERS, I. I. T. I. pag. 353.

(⁴) Jam monuit seculo decimo quarto BARTOLUS in Dig. Vetus Const. omnem: «dico ergo quod habere studium vel licentiam docendi, procedit ex privilegio tantum, vel ex consuetudine longissima, sicut Paduae ubi est studium generale ex consuetudine; et sic eadem privilegia sunt ibi, quae Bononiae, ubi est studium ex consuetudine et privilegio LOTHARII Imperatoris.»

fuerit, quare saepissime in Universitatibus condiderunt Pontifices Facultatem Theologiae, quae nulla ante ibi adfuerat. Imo nonnumquam legibus ferendis Institutioni prospexerunt; ita tamen ut Canonicos magis spectarent, qui instituebant, quam ipsam Institutionem.⁽¹⁾

Quam ob rem illud, opinor, ad historiae veritatem proxime accedit: Ecclesiam eatenus summam Institutionis curam gessisse, quatenus mera ecclesiastica fuit; summos autem Germanici imperii principes non modo numquam jura sua amisisse, verum semper extra Ecclesiam excolere potuisse eodem modo, quo Carolingiae stirpis principes consueverant. Hinc simulac Institutio ecclesiis per Universitates sese extorserit inque Civitatis potestatem se receperit, FREDERICUS I diutius non quievit, sed viam ingressus est ad Universitatum conditionem emendandam, edita constitutione, cuius ex verbis nihil dubii remanet, quin Institutionis cura ad *majores rei publicae causas* etiam tunc, ut antea, pertinuerit et in Procerum concilium deduci perrexit.⁽²⁾ Quare, etsi necessarium necdum videatur, Universitates *publice* instituere, tamen Institutio-*nen* Ecclesiae tutelae exemptam, publice procurandam esse statim intellexerunt Principes, neque cives hanc curam recusarunt umquam.

(¹) Ita quod vetuit ALEXANDER III, ne pro licentia docendi pecunia exigetur (C. 3. X. *de magistris* (V. 5)), de ecclesiasticis tantum valuit. «Dignos eos esse animadversione censemus, qui nomen ma-
»gistri Scholarum et dignitatem assumunt *in ecclesiis vestris et sine
»certo pretio ecclesiasticis viris* docendi alios licentiam non impen-
»dunt.»

(²) Vidd. const. verba supra pag. 49. Not. 2.

§. 2. *De Scholarum cura Patrimoniali unde hodierni
Juris Dominici magistros instituendi origo.*

Universitatum expositis primordiis earumque primate-vae libertatis incrementis, in patriam ex deverticulo redeamus. Ejus juventutem instituendi rationem exposuimus, quae quum esset unice fere ecclesiastica, regundae quoque institutioni Ecclesia tantum operam dedisse videtur. Quarentibus autem, unde factum sit, ut clerici illam tutelam et scholarum ministerium, quod prioribus temporibus habuerunt, tandem in patria nostra amiserint, eorum quae excitamus temporum historiam aliquid lucis posse afferre et ex politicae rerum conditionis notitia responderi posse arbitror. Ita proximum est ut de *juribus Patrimonialibus* (Landsheerlijke Regten) videamus. Quodsi eruditissimorum scriptorum silentio deterrei non licuit, (¹) venia nobis opus esse et majori quadam indulgentia intelligimus. Rem scilicet aggredimur non levis momenti, ejus juris originem persequentes, quod non modo ad magnam illam rerum conversionem, quae nostro seculo mutatam Europae faciem dedit, vigore perrexit, sed etiam coram hodierno judge ab iis fuit vindicatum, qui titulum suum domini, ad priscum morem revocarunt magis, quam publicam spectarunt utilitatem. (²)

(¹) L. A. WARNKÖNIG in *Flandrische Staats- und Rechtsgeschichte*, Tüb. 1835, de Scholarum jure disserens T. I. pag. 438 ipse testatur ea de re usque ad seculum 12 et 13 vel minima scripta desiderari, ita ut notissimus quidem de jure Canonico Scriptor hanc nostram aetatem plane practerierit.

(²) Exempla habes in *Regtsgeleerd Bijblad*, Junij 1847, pag. 418.

Postquam apud CLODOVEI successores mos invaluerat, ut qui de republica bene meruerant, iis ex domaniis regiis terrae quaedam concederentur, quas cum omnibus fundi juribus in *perpetuam proprietatem* (¹) possiderent, jure dominii, aut in *beneficium* datas, jure usufructuario, sensim aucta munificentia regia, praesertim Germaniae Imperatores, cum et honores impertire et omnes publici patrimonii partes coepissent, tantopere liberalitatis terminos excesserunt, ut (quemadmodum festive dixit historicus) implumis fere fieret aquila imperii. (²)

His juribus in primaevae Nobilitatis Dynastas translatis, manebant tamen Reges et Imperatores Germaniae summi Belgici territorii principes, penes quos omnes erat leges ferendi abrogandique potestas. Quodsi postea quorundam Dynastarum (Ducum, Comitum, Episcoporum aliorumque) potestas increverit, quum simul hereditarii fierent ministri publici, tamen, quatenus erant liberi terrarum domini, omnes primis temporibus eadem habebant ex territorii dominio jura fructuosa et honorifica, salvo tamen *allodii* et *beneficii* discriminē.

Fuerunt et sunt etiam hodie, qui omnia illa jura feudalia vocarent, quibus feudi nomen ita optatum videatur, ut eo utantur, ubi genuina adsit dominii natura. (³) Alii vero

(¹) Cf. MARCULFUS, *de formulis*, L. I. form. 7 et 12.

(²) De his ex industria egerunt, A. KLUIT, *Historie der Hollandsche Staatsregering*, Amsterd. 1802—1805. T. V. pag. 109. et ejusdem *Prima Lineae Collegii Diplomatico-Historico-Politicī*, L. B. 1780. cap. V seqq. J. J. RAEPSAET, *Analyse*, L. III. c. 15 et 16. L. IV. c. 1 seqq.

(³) Horum meminit RAEPSAET (*Oeuvres Compl.* T. IV. pag. 245).

similem aliam sententiam tuentur, existimantes ad has imperii partes occupandas, vim et licentiam magis quam juris cessionem dedissem locum. (1) Uterque error notandus est, utpote quem in nostro argumento evitari, magni omnino referat.

Tenquerunt itaque primatevi Dynastae terras Belgii Foederati, vel proprio jure cum omnibus territorii accessoriis et praerogativis *allodiales*, vel principis nomine cum iis juribus, quae tacita consuetudine vel expresse his accedebant, *beneficiarias*. Quae tamen originis cujusque juris dominici diversitas etsi antiquitus non levius fuerit, tamen quum beneficia hereditaria fierent, (2) eoque omnia illa jura in unum quasi corpus coalescerent et nonnulli exstitissent Dynastae Regii Ministri titulo insignes, qui omnibus potentiores erant territorii sui ambitu, hinc, juris patrimonialis et beneficiarii, quod nunc feudale dicitur, natura magis magisque commixta est et utriusque discrimen non semper aequa permanit perspicuum. Primariam vero originem cogitantibus trita nobis via erit ad sequentia.

«Comment donc est-il possible d'avoir vu et de voir encore, quelques fois des jugements et même des arrêts, proscire un droit ou une redevance comme *féodale de sa nature*? est-ce par ignorance ou par esprit de parti? Il n'y a de droit, ni de service, qui puisse être féodal, que celui qui est chargé de *foi et hommage*; tout autre est allodial de sa nature et doit être présumé tel, jusqu'à preuve du contraire, parceque la qualité féodale est une qualité accidentelle et contraire à la nature de toute propriété.»

(1) Eos refutavit jam MONTESQUIVIUS, *Esprit des Lois*, L. XXX. cap. 20. A. SMITH, *Richesse des Nations*, (Belg. edit.) T. III. pag. 71. RAEPSAET, I. I. N.^o 204. KLUIT, *Hist. etc.* I. I. pag. 135.

(2) Cf. RAEPSAET, *Analyse*, N.^o 215.

Vetustissimi juris fuit (¹) apud Christianos quod ad allodia attinet, ut, quemadmodum Imperatores Episcopos nominare solebant, ita terrarum dominis, qui propriis expensis in praediis suis sacras aedes extruxerant, earum Sacrorum Ministros episcopalii ordinationi (²) offerre licet haberentque illi, quod dicitur, *jus Patronatus*. Fuit illud neque regale quoddam jus, neque feodale, sed mere patrimoniale, accessorium fundi, quod ad dominii heredes transibat, (³) ita ut jurium dominorum numero accedat. Quum igitur ecclesiastici, Principum Carolingiae stirpis mandatis obsequentes, majori studio juventutis Institutionem prosequerentur, et qui in ecclesiis sacra administrabant, eos scholas quoque tenere consuevisset; hinc, per jus patronatus Dynastas quoque auctoritatem aliquam in Institutionem vel saltem in magistros adeptos esse, dubitari nequit. Haec auctoritas profecto increvit postquam privatae illae ecclesiae ad Parochialium dignitatem pervenerunt salvo jure Patronatus, (⁴) quum ita schola Parochiae simul ecclesiae Patro-no laico obnoxia esset. Verumtamen longe abest ut Dynas-

(¹) Ut videtur est in Just. Novella, CXXIII. cap. 18 et LVI. cap. 1.

(²) Quid eo nomine intelligatur et quomodo jus Patronatus se explicetur vid. apud A. YPEY, *Geschiedenis over het Patronaatregt*, Breda 1829, pag. 203 seqq.

(³) Hinc jam in dicta Nov. CXXIII legimus, «si quis oratorii »domum fabricaverit et voluerit in ea clericos ordinare aut ipse aut ejus heredes si expensas ipsis clericis ministrant et dignos denominant, »denominator ordinari.» — Interpretationem hujus legis dedit BARTOLUS in *legum volumine parvo*, T. V. pag. 549.

(⁴) Hujus rei historiam enarrat YPEY, o. l. pag. 243 seqq.

tae in cooptandis sacerdotibus plenissimo jure egerint; erat enim haec Patronorum facultas Episcopali *investitura* ita coarctata, ut ultra oblationem se non extenderet et ab Episcopi comprobatione omnis penderet exitus.⁽¹⁾ Quanti vero hoc quoque momenti fuerit ex summo colligi potest studio, quo Ecclesia hoc Patronorum jus continuo labe-factare contendit. Ceterum de allodiis hactenus diximus; quum vero et illi qui Beneficia possidebant, dominii juribus gaudebant postea quoque hereditariis, ut statuamus hos eadem Patronorum jura habuisse, aequa ratio suadet.

Verum, etsi hoc juris vinculum occasionem forte dede-rit seculari potestati Dynastis acquirendae ad Scholarum ministerium procurandum, tamen unice profluxisse vide-tur, ex majori Institutionis cum Ecclesia necessitudine; atque ita, a quo tempore utraque sejungi coepit, illud quoque vinculum sua natura dissolvi debuit. Jus Patro-natus cum ita dicto *jure Scholarum* nihil proprie habet commune;⁽²⁾ illud ecclesiasticum est, hoc seculare, quod, titulo Patronorum, neque umquam sibi vindicare potuerunt Dynastae, neque hodie iis foret concedendum, etiamsi illud ceteroquin denegari non posset. Ultero illud perspicuum erit, hujus juris natura plenius exposita.

Est autem *jus Scholarum* jus quoddam intra territorii cuiusdam fines prae ceteris Scholam administrandi ejusque

(¹) Idem pag. 246 seqq.

(²) Nonnumquam de iis promiscue loquuntur auctores, quare laetor sententiam meam comprobatam me videre auctoritate Cel. KLUIT, *Inwijdingsrede over de Afszwinging van Philips*, Leiden 1779. pag. 32 seq. qui in enumerandis comitum juribus utrumque distinguit.

magisterium procurandi ; remotissimum igitur a legislatorio munere , sed tantum administrationis regulas et normas amplectens . Hoc jure omnes fere terrarum Dynastas usos fuisse post ea tempora , de quibus nunc loquimur , multa ex antiquitate et temporum injuria salva diplomata omnibus dubiis exemerunt . Siu autem , (quod clarissimorum de jure publico scriptorum auctoritate confirmari potest) ⁽¹⁾ illud verum est , jus Institutionem juventutis procurandi ad summum civitatis rectorem pertinere , secundum principia juris publici universalis , neque aliam in imperio Germanorum viguisse rationem sub principibus Carolingiae prosapiae , secundum jus publicum particulare , tunc certe , quo jure postea in Institutionem publice procurandam singuli Dynastae cujuscunque nominis aut dignitatis juste et legitime usi sunt , id ex largitione regia originem duxisse oportet .

Quodsi temporum rationem persequimur et publicam , qualem paucis explicavimus , Germanici imperii condicionem , rem ita nobis fingimus . Clerici Scholas suas tenebant iisque praeerant mandatu principis , ⁽²⁾ id quod invaluerat , quum ingens adhuc esset in Patria nostra domaniorum regiorum ambitus , sed postea , his omnibus

(¹) Hanc controversiam agitare de novo nostrum non est . Ex scriptoribus nominandi sunt : R. MOHL , *Die Polizei-Wissenschaft nach den Grundsätzen des Rechts Staates* ; Tub. 1832. T. I. pag. 414. F. C. DAHLMANN , *Die Politik , auf den Grund und der Maass der gegebenen Zustände zurückgeführt* , Leipz. 1847. pag. 281 seqq. Variorum etiam scriptorum sententiae exponuntur in libello *Du droit et du devoir des Gouvernements concernant l'Education etc.* Brux. 1829.

(²) Cf. supra Cap. 1.

in privatam proprietatem mutatis, idem ex antiqua consuetudine permanxit. Quum vero deinde instituendi ratio paucis placeret, postquam Ecclesia per decreta sedis Apostolicae summo studio contendebat, ne ulterius ad ingenuas disciplinas excolendas procederent sui ministri et ipse clericorum ordo, vitiorum quorumdam illecebris captus, juventuti minus prospiceret, ipsi laici de Institutione cogitare coeperunt, tamquam de re, quam eorum maxime intererat procurari. Hinc in Italia prima Universitatum germina, hinc in Patria nostra principes ordinis laici Dynastae, qui se juventutis curae inmiscuerunt, Scholarum regimini auctoritatem suam interposuerunt et jus Scholarum *sibi asseruerunt.* (¹) Jam quaeritur num eo aliorum jura per usurpationem sibi vindicaverint?

Omnem Principum Belgii et totius Germaniae potestatem semper fuisse ad jurisdictionem accommodatam, imo in ipsa jurisdictione fundatam, jam notissimae veritatis est. (²) Ea omnis est sua origine patrimonialis, atque ita *allodia primaeva sive Franca* (³) Dominis suis omnia ea jura dederunt quae jurisdictione allodiali comprehenduntur, videlicet omnia jura Majestatica (sit *venia verbis!*) potestas legislatoria, judicialis, etc. Inde omnis deducitur Regum Francorum et Germanorum potestas, utpote qui majora illa allodia possiderent.

(¹) Verba sunt DUCANGII, in voce *Schola*, pag. 739, quibus utimur, ne quis putet statim hunc scriptorem de injusta usurpatione cogitasse.

(²) Cf. KLUIT, *Primae lineae* etc. §. 381, 524, col. §. 192.

(³) De *allodium francis*, vid. RAESPAET, *Analyse*, L. III. cap. 15. N.^o 190. Dicuntur etiam *terrae Salicæ*.

Ejusmodi autem Dominos in Patria nostra cognitos fuisse praeter ipsos Francorum reges nescius affirmare non possum. Contra vero de eximiis Regum domaniis ubique mentio fit. (¹) In his domaniis jurisdictionis omnis erat Imperatoris vel Imperii; Duces, Comites ceterique hujus generis Vasalli erant ministri publici, qui regi aderant et publico ministerio fungentes, ubique imperii quieti prospiciebant nomine imperatoris. Quum vero ex his domaniis quaedam terrae jure beneficiario, sed imprimis jure proprio, privatis quibusdam concederent principes, harum Domini, Dynastae dicti, minorem semper hujus jurisdictionis partem dominii titulo consequebantur. Huc pertinebat administratio totius territorii, jurisdictionis domestica, et jus omnia officia et munera erogandi, quibus in his praediis fungi solebant nonnulli. (²) Eo titulo et jus Scholarum ad privatos Dynastas transiisse docet 1º ipsa rei natura, quum jus illud nihil aliud sit quam administratio quaedam patrimonialis, et imprimis magistrorum officia procuranda spectet; 2º analogia rei: scilicet eamdem minorem jurisdictionis partem Comites postea aliis quibusdam cesserunt (puta Ambactis, de quibus infra), atque jam omni dubio caret eo titulo accepisse donatarios magisterium Scholarum. (³)

(¹) Cf. KLUIT, *Prim. Lineae*, §. 225, seqq. Holl. Staatsreg. V. pag. 109 seqq. Principum allodia vulgo dicuntur *domania*.

(²) Cf. RAEPSTAET, *Analyse*, §. 228.

(³) Id pluribus testatur PESTEL, *de Rep. Bat.* T. II. p. II. pag. 1003 et P. BORT, *Tractaet van Hooge en Ambachts-heerlijkheden*, oper. omnia, T. I. pag. 347. Add. *Handvesten en Octroijen van Vlaardingen*, 1772, pag. 400 in Not.

Qui igitur territorii erat Dominus habebat ipso jure Scholarum administrationem. Jam vero plerique illi Dynastae erant simul ministri regii i. e. pleraeque illae insignes largitiones collatae fuerunt in ipsos Duces, Comites aliosque nobiles ministros, unde factum est, ut postquam eorum etiam munera hereditaria fierent, omnis omnino jurisdiction in unum corpus coalesceret, et pauci extiterint potentiores, multis summi imperii juribus insignes. Quidquid vero his juribus postea accesserit, erat et fuit semper (quod non aequo de omnibus summi imperii juribus dici potest) (¹) jus Scholarum sequela dominii fundi. Quid igitur? num Scholarum regimen injuste sibi vindicarunt Dynastae? Imo vero, quemadmodum jus Patronatus Domino competitbat jure Ecclesiastico, ita jus Scholarum Domino competitbat jure publico Germanico. Dominia sua acceperunt Dynastae largitione regia, ergo et jus Scholarum. Illud quidem non per scriptam legem Dominis terrarum traditum legimus, verum *usu et consuetudine*, remotissimis inde temporibus invaluerat. Hic *usus* vigorem legis habebat, quemadmodum universa legislatio tunc magis consuetudinaria erat quam scripta. (²) Quare quidquid contra studuerint Pontifices profitentes: «ego sum veritas non autem usus vel consue-

(¹) Etenim constat pleraque jura majestatica quidem jure dominii adeptas fuisse Duces ceterosque Belgii Principes, sed tantum incremente eorum auctoritate per superioritatem illam territorialem quam vocant. KLUIT, *Prim. lin.* §. 322 et 260 seqq.

(²) G. L. MAURER, *Geschichte des Alt-Germanischen Gerichtsverfahrens*, Heidelb. 1824. §. 189. p. 280. Coll. Mr L. P. VAN DEN SPIEGEL, *Verh. over den Oorsprong en de Historie der Vaderlandsche Rechten*, Goes 1769. Cap. III. N.^o 7 seqq.

tudo: »⁽¹⁾ ea certe magnifice dicta ad juris naturam infirmandam parum prodesse potuerunt. Quam ob rem quod monuit cel. DUCANGIUS ⁽²⁾ terrarum dominos jus Scholarum ecclesiis ademisse, id certe, quatenus de injusta vindicatione accipi poterit, non facile crediderim. Si quando jus suum tam parvi aestimarunt primis temporibus Dynastae, ut eo plerumque Ecclesiam uti tacite consenserint, tamen inde non sequitur, illud Ecclesiae proprium fuisse, et a Dynastis revindicari non potuisse.

His omnibus perpensis, jam intelligitur quod de Schola Gandavensi legatur, ejus ministerium penes Flandriae Comitem fuisse ab antiquissimorum inde temporum memoria: ⁽³⁾ et quod ibidem legimus, jus illud Scholarum Gandavensium non Ecclesiae fuisse sed secularis potestatis praerogativam, ⁽⁴⁾ id certe non modo nostram comprobat sententiam, sed de omnibus quoque Scholis, quae essent in territorio domini laici, aequo dictum velim. Nec est quod obstet Ypensis villa exemplum, ubi Scholarum jus anno 1252 Canonicis Sti Martini traditum fuisse

(1) Verba sunt epistole URBANI II ad Comitem ROBERTUM FRI-
SIUM, quam edidit WARNKÖNIG, *Flandrische Staats- und Rechtsge-
schichte*, Vol. I. app. pag. 15.

(2) o. c. pag. 739.

(3) WARNKÖNIG, o. c. T. I. §. 48. pag. 438.

(4) Idem, l. l. pag. 440. «Wenn man bedenkt, dass die Schule eine geistliche, eine Domschule war, so ergiebt sich aus dieser Urkunde, (Aº 1235 apud LESBROUSSART in notis ad P. D'ODEGHERST, *Annales de Flandre*, T. II. p. 132) dass im dreizehnten Jahrhundert das Recht zu lehren alda keine Prærogative der Kirche, sondern der weltlichen Herrn war.»

dicitur. Notum est enim ex vetustissima Flandriae historia, ipsos Sti Martini Canonicos fundi dominos fuisse, ubi Scholae erant: quare si jus suum persequi aliquando voluerint, hoc iis non nisi dominii titulo concedi licuit. Uti in urbe Gandavensi Comes Flandriae jus Scholarum tantum habuit in ea urbis parte, quam proprio nomine possidebat, sic quoque in villa Yprensi jus Canonorum intra fines territorii Ecclesiae constitit, neque e. c. villam Comitis amplecti potuit, ubi etiam eam ob causam nulla Schola fuisse videtur. (1) Quod autem ad Bullam Pontificis attinet, jam intelligitur, eam numquam vim *tituli* habere potuisse: eam fortasse expetiverunt Canonici, ut si quis jus eorum vindicare voluisset, originis sanctitate deterreretur. Quid? quod ipsa sedes Apostolica aliquando professa est jus Scholarum territorii dominis deberi! Exemplum videre est in epistola ALEXANDRI III. P. ad Remorum archiepiscopum scribentis: «Dilectus filius noster abbas Sti Petri de montibus transmissa nobis relatione monstravit, quod magister Scholarum Catalaunensis ecclesiae in terra jam dicti abbatis sibi Scholarum magisterium vendicat, et nullum per abbatem ibi regere Scholas permittit. Unde quoniam cum donum Dei scit scientia literarum, liberum debet esse cuique talentum gratiae cui voluerit erogare, fraternitati tuae per Apostolica scripta mandamus, quatinus tam abbati quam magistro Scholarum praecipias, ne aliquem probum et literatum virum regere Scholas in civitate vel suburbii ubi voluerit aliqua ratione prohibeant vel interdicere qualibet occa-

(1) WARNKÖNIG, o. c. pag. 442 seq.

»sione praesumant Verum licet idem magister Scholarum illud sibi forte in civitate ipsa obtentu pravae consuetudinis vendicet, hoc *in terra Abbatis* non potest aliquatenus vendicare.» (¹)

Nihil, ut opinor, ex hoc documento magis est perspicuum, quam ipsa Pontificis de jure Scholarum sententia, quippe qui ceteroquin Institutionis libertati favens, tamen singulare quoddam jus tuetur contra usurpatorem non in favorem Abbatis cuiuslibet, sed territorii Abbatis. Erant quidem, ut ex hoc et multis aliis documentis constat, ipsi clerici ingentium praediorum domini, (²) unde non exiguam Scholarum partem curasse videntur; mansit tamen illud jus territoriale non vero ecclesiasticum; ad ecclesias non nisi publica largitione transiit.

Alteram causam majoris in Scholas ecclesiasticae auctoritatis facile apud ipsos terrarum dominos invenies, qui quum liberam haberent Scholarum administrandarum curam, nonnumquam de hac regiminis sui parte, salvo suo dominio, cum ecclesiasticis viris transegerunt. Illud docet Charta quaedam Comitis ROBERTI FRISII, qui in ecclesia Sti Petri Casleti Canonicis quibusdam instituens, eorum uni Scholam regundi curam mandat, a quo si quid nimis negligenter factum inveniretur, decernit, ut ceteris communī consensu alterum idoneum constituere liceat. (³).

(¹) Integras litteras dedit SIRMONDUS, *Opera Varia*, T. III. Ep. 44. pag. 880.

(²) De ipsis Ultrajectini Episcopis cogitasse sufficit.

(³) Apud MIRAEUM, *Codex Diplom.* T. II. pag. 1036. Alterum exemplum de Schola Gandavensi vid. infra pag. 68.

Nova ita sensim sese offert rei facies, quum Principes Belgii prae ceteris (¹) id, quod vastissimo dominii sui ambitu acquisiverant, aliis quotidie erogare studuerunt. Mutata enim temporum ratione, Germaniae Principis exemplum secuti, terras suas et jura abalienare aut oppignorare coeperunt et qui Feudatarii erant (leenmannen) ipsi facti sunt Feudorum Domini (onder-leenheeren); atque ita fieri aliter non potuit, quin et Scholarum jus eodem fato premetur et sub variis contractuum formis cum ipso fundi dominio ad alios minoris dignitatis vasallos transierit, quorum quo minor erat cum summo principe necessitudo eo majori licentia omnia ipsi peragebant.

Hujus rei documenta quaedam primaria ad nos pervenerunt. Diserte illud testatur de ROBERTO FRASIO diploma, quod supra jam exhibuimus; (²) item HENRICUS I Angliae rex, pro prioratu Huntedunensi statuit et donavit «Capellam » Castelli de Huntedon cum pertinentibus suis et Scholam » ejusdem villae, ita ut nullus aliquam infra Huntedonscira » absque eorum licentia teneat.» (³) Alterum exemplum in Anglia exhibit Charta BALDUINI de Radueriis pro Ecclesiae Twinkamensis Canonicis statuentis: «ut dig-

(¹) Quod non ita accipi velim, ac si reliqui minores Dynastae illud jus amiserant lapsu temporum. Integrum illud semper habuerunt, verum minoris fuit momenti si cum Comitum juribus conferas.

(²) «Haec omnia,» inquit, «praenominata ipsius ecclesiae et » viginti Fratrum usibus constituta libera et ex omni exactione ser- » vitii absoluta, sicut in manu et potestate mea habui, ita Deo et ipsis » Fratribus habenda subnixa astipulatione manumitto.»

(²) In Monastico Anglico, T. II. pag. 26. apud DU CANGE, Gloss. in voce Schola.

»nitatem suam plenam et omnes suas liberas consue-
»tudines in omnibus rebus honorifice habeant, sicut
»antiquitus semper habere solebant, villaे scilicet ipsius
»Scholam, suam liberam curiam cum Soce et Sace Tol
»et Then. . . . »⁽¹⁾

Haud secus Comitissa Flandriae JOHANNA jus suum Scholarum, quod supra adumbravimus, contulit in Canonicos Stae Pharahildis, qui, quum omnem Institutionis curam sibi mandatam habuissent a Comite per longum temporis spatium, ⁽²⁾ ecclesia et schola incendio vastatis, omnem suam auctoritatem amiserant, postquam ipsi cives Gandensesjus Scholarum liberum vindicaverant. ⁽³⁾ Antiquum igitur morem repetens anno 1235 Comitissa Canonicis, quod antea mandatum habuerant, nunc in proprietatem concessit his conditionibus: «Johanna . . . Ut servitum

(1) Ibidem pag. 180. ap. eund. 1. 1. Verba *sacha*, *soca*, *thol*, *thean* et *enfangthef* aliquam jurisdictionis partem significare ostendit HOUARD, *Coutumes Anglo-Normandes*, T. I. p. 112, 170 et 171.

(2) Hujus rei meminit WILHELMUS Archiepiscopus apud MIRAEUM, *Cod. Dip.* T. II. pag. 974. «Karissimus in Christo Filius noster Philippus, Flandriae et Viromandiae illustris Comes, sua nobis insinuatione monstravit, quod olim quasi a primo Ecclesiae Sanctae Phairaldis fundamento, quae est in Gandensi oppido sita et specialis est Capella Flandriae Comitis, Scholae praedicti oppidi assignatae fuerunt uni Canonicorum, ut nullus in eodem oppido sine illius assensu, cui a Comite Scholae assignatae fuerunt, Scholas regere et gubernare praesumeret.» — Idem igitur hic obtinuit quod de Schola Roberti Frisii supra diximus pag. 66.

(3) Cf. TH. JUSTE, *Hist. de l'Instruction publique en Belgique*, pag. 50 seqq.

»divini cultus in ecclesia sanctae Pharahildis de Gandavo
»solennius (more) soluto celebretur et ad regendas Scolas
»ibidem talis semper de caetero substituatur persona, quae
»secundum Deum pueros tam scientia quam moribus velit
»et valeat informare, concedimus in perpetuum Decano et
»Capitulo ejusdem ecclesiae sanctae Pharahildis *Magistri-*
»*rium, quod ad nos spectabat Scolarum Gandensium, juxta*
»ipsam ecclesiam regendarum, intelligentes, in hac parte
»nomine Capituli, Canonicos in ecclesia eadem praesentes.
»Decanus autem et Capitulum supra dicti singulis annis in
»periculo animarum suarum scolas easdem concorditer gra-
»tis et absque omni exactione aut conventione committant
»personae ad tale officium idoneae, et personam illam sin-
»gulis annis iidem Decanus et Capitulum cum litteris suis
»patentibus ad nos et ad successores nostros mittant ante
»pascha, ut ipsas scolas de manu nostra recipiat tenendas,
»per annum a festo sancti Johannis usque ad festum sancti
»Johannis anni proximo subsequentis. Aljoquin si aliquo
»anno saepe fati Decanus et Capitulum concorditer eas non
»contulerint, vel personam illam cui scolas illas conferent,
»sicut dictum est, ad nos non miserint ante pascha: colla-
»tione earumdem scolarum careant eo anno, et nos et
»successores nostri eo anno conferre poterimus dictas
»scolas. In robur etc. . . . » (1)

Integras exhibuimus litteras, quo melius cognoscantur
ea, quae de Institutionis regime penes Dynastas primo

(1) Exhibit diploma LESBROUSSART in notis ad P. D'OUDEGHERST,
Ann. de Flandre, T. II. pag. 132. Vide etiam WARKÖNIG, I. I.
T. II. parte I. pag. 41 appendicis.

fuisse, postea ad privatos transiisse statuimus. Hac enim et simili ratione cum Belgii Comites aliosque Principes, tum minores imperii Dynastas jus suum Scholarum alienasse aut oppignorasse, unde plures extiterunt parvi terrarum Domini, singuli sua jura habentes cum territoriis, docent innumerae illae alienationes «cum assueta jurisdictione» vel «cum omnibus juribus et appendiciis» in liberos et Nobiles quotidie factae, quarum documenta in Diplomatuum collectionibus abundant. Quare quidquid contra nitantur illi, qui partium studio feruntur magis quam veritatis, quam longissime abest, ut Scholarum publicum regimen illis temporibus semper ecclesiasticum fuisse dici possit. (1) Erant plerumque *Scholae ecclesiasticae, Scholarum Magisterium* vero jurisdictionis cujusdam sequela, de qua ipsi Benedictini aliquando dixerunt: «Le prince est la source de toute Justice.» (2)

Quamdiu autem Dynastarum quorumdam auctoritas nondum ita increverat, ut per territorii superioritatem quaedam Imperii jura nanciserentur, permanxit apud Germaniae Imperatores summum quoque jus Institutionem procurandi, quemadmodum apud Roncalias ostendit **FREDERICUS Imp.**, neque illud Dynastarum jus Scholas regundi ei quidquam detraxit.

Hactenus vidimus de iis juribus, quae simul cum territorii dominio ad tertios transtulerunt Dynastae. Restat autem ut de *Toparchiis* (Hooge Heerlijkheden) et de *Ambactorum*

(1) Cf. Diarium: *Le Catholique des Pays-Bas*, 1827, N.^o 102, 104 et 108, in *Droits du Prince sur l'Enseignement public*, pag. 115.

(2) **DOM. BOUQUET**, *Recueil des Historiens*, T. III. praef. pag. 111.

Dynastiis (Lage of Ambachts-Heerlijkheden) dicatur. (1)

Postquam, cessante Ducum Comitumque officio, quamvis manente titulo, omnis jurisdiction hereditaria erat facta eoque magis magisque Principum Belgii propria ac patrimonialis; hanc Principis nomine mandatam sibi exercebant officiarii quidam, Balivi, aliqui. Quum vero hi Principes plures in dies fierent in domaniis suis et regaliis alienandis et oppignorandis, hinc mos exstitit paulatim partem aliquam hujus jurisdictionis territorialis liberis quibusdam et Nobilibus concedendi jure feudali, integra manente tamen hujus territorii proprietate. Ita praesertim in Zeelandia, novis per alluvionem acquisitis terris, multae exstiterunt praediorum compages, aliae, quarum jurisdictioni minori praeerant, qui dicebantur *Ambacti*, aliae, quarum simul et supremam exercebant jurisdictionem, qui *Toparchae* vocantur, (2) omnes ex Principis privilegio officiarii hereditarii. Cum his Ambactorum iuribus (quae et Toparchiis plerumque comprehenduntur) quaedam conjuncta erant adventitia (Ambachtsgevolg, alles wat den Ambachte schuldig is

(1) De hac materie egerunt cum P. BORT, *Tractaet van Hooge en Ambachts Heerl.* Opp. Omn. T. I. pag. 245 seqq. tum VERHEYE VAN CITTERS, *Specimen de Toparchiis et Ambactis eorumque in Zeelandia iuribus et possessionibus*, Traj. ad Rhen. 1774. quod tamen frustra ubique expetivimus. Add. PESTEL, o. l. T. II. p. II. §. 305. RAEP- SAET, *Analyse*, N.º 242 et pl. seqq. KLUIT, *Holl. Staatsreg.* T. V. pag. 254. IV. 608.

(2) In eo differunt BORTIUS et PESTELIUS, quod hic Toparchis Ambactorum quoque iura tribuat, ille vero Toparchas tantum supremam jurisdictionem habuisse testatur, Ambactos vero minorem. Si illud cogites, Toparchas plerumque et Ambactos fuisse neutra amplius sententia claudiabit.

te volgen met regte) territorii dominio propria , in quibus cum multis aliis numeratur etiam jus ludimagistrum constituendi. (¹) Fuerunt etiam Ambactorum Dynastiae antiquiores et recentiorum Toparchiarum haud raro primae causae. (²) Harum multa praeter Zelandiam in Hollandia quoque exstant vestigia, imprimis intra fines territorii Renolandini (Rijnland); (³) quin et in ipsis statutis Baliviorum Renolandiorum de magisterio Scholarum ab Ambactis procurando exstat legis dispositio. (⁴)

Hoc jus igitur erat origine sua mere *personale* et, postquam hereditarium exstiterat, totum *feudale*; unde si quis non dominus jus suum Scholarum in aliqua terrarum compage vellet vindicare, is titulum suum Ambacti nisi exhiberet admittendus erat nemo. Quare multo differt a ceterarum Dynastiarum sequelis; ita ut, si quae hactenus indagavimus jura Territorialia, paucis recenseantur, triplex eorum esse fons videatur et natura, prout ea exercent 1.º Liberarum Dynastiarum primaevi Domini, quales fuerunt antiquitus praeter Duces, Comites aliosque principes Belgii, Domini ab *Amstelland*, *Waterland*, *Arkel*, *Heusden*, *Zevenbergen* alii; (⁵) 2.º illi Dynastae qui terras

(¹) P. BORT, *Op. om.* T. I. p. 347. PESTEL, o. c. pag. 1003.

(²) KLUITIUS (*Holl. Staatsreg.* V. 274) nonnulla edidit diplomata, quibus Ambactorum Dynastiae ad Toparchiarum dignitatem extolluntur.

(³) Cogita Dynastias *Oestgeest*, *Warmond*, alias.

(⁴) *Keuren ende Ordonnantien van 't Balliuwschap van Rhijnlandt*, art. 102.

(⁵) Cf. VAN SPAAN, *Inleiding tot de Geldersche Historie*, T. III. pag. 202 seqq.

suas proprio sed praesertim beneficiario sive feudali jure possident a Principe datas, quales multi in Historia occur- runt Domini a *Voorne*, *Woerden*, *Gouda*, etc.; et 3.^o Am- bacti et Toparchae qui tantum jurisdictionem aliquam cum juribus fructuosis feudi titulo exercent sine territorii do- minio.

Quibus omnibus satis superque, ut spero, expositis, una solvenda restat quaestio, nimirum quaenam hac aetate fuerit praeter jus Scholarum patrimoniale Civitatis de Institutione cura. In ea breves esse possumus, quum ante urbes legibus et statutis municipalibus instructas in patria nostra penes principes civitatum nulla leges ferendi promulgandique ratio fuisse videatur. ⁽¹⁾ Erant quidem, postquam increverat quorumdam Dynastarum superioritas illa territorialis, ipsi Duces Comites ceterique principes summi legum politicarum condendarum auctores, sed vi- gente adhuc capitularium per *usus* et *consuetudines* qua- dam auctoritate, ⁽²⁾ cum major esset singulorum Domi- norum terrarum auctoritas in legibus administrativis et domesticis (*huishoudelijke*) condendis, inutile propemo- dum esse debuit, quid novi constituere ad rempublicam administrandam. De juventute instituenda, ut de reli- quis publicae curae negotiis, leges nullae extiterunt,

(¹) KLUIT, *Pr. Lin.* §. 323 seqq.

(²) Eo sensu RAEPSAET (*Analyse*, N.^o 128) pronunciavit. «Nos chartes du moyen-âge, en se référant constamment à d'anciens usa- ges, n'ont pu viser, qu'à ces anciennes lois nationales et aux Capi- tulaires des Francs; sans cela il faudrait dire que, du IX^e au XIII^e siècle, nous avons vécu dans une anarchie absolue, ce qui est dé- menti par l'histoire....» Cf. M^r. L. P. VAN DEN SPIEGEL, I. I.

usibus et consuetudinibus summum jus constituentibus.
Quare mirum non est, Ecclesiae ad omnes fere in civitate
res fuisse aditum, et in Institutionis cura legum scripta-
rum inopiae nonnumquam ipsam occurtere studuisse.

CAPUT TERTIUM.

DE PUBLICA INSTITUTIONIS CURA

A COMMUNITATUM ORIGINE USQUE AD BURGUNDIAE STIRPIS PRINCIPES.

§ 1. *Communitatum initia quid omnino valuerint ad Institutionis conditionem mutandam.*

Ubi semel Europae populi ad politici juris notionem pervenerunt, alienatis magis inter se Laicorum et Cleri animis, et Communitatum libertas appeti coepit a plurimis, alia facta est et prorsus nova rerum publicarum conditio. Quamdiu enim duplex fere permanebat omnium civium status, alter liberorum (Welgeborenen), servorum alter (hofhorige, eigene lieden), ⁽¹⁾ perpaucis tantum licuit civitatis juribus uti, plerosque glebae magis quam juris civilis constrinxerat vinculum. Quum vero in Italia seculo duodecimo, quo se servitutis laqueis exuerent, ad urbes configuerent homines ibique civile quoddam corpus constituerent coepissent; postea eodem impulsu hoc libertatis

⁽¹⁾ KLUIT, *Holl. Staatsreg.* T. IV. pag. 38 seqq. VAN LOON, *Aloude Regeringswijze*, T. III. c. 3.

vindicandae studium varias commovit Europae regiones et tertium condidit atque novum civium statum *Oppidanorum* (Poorters). (1) Hujus rerum conversionis nostrum non est causas omnes explorare, neque vias investigare, quibus oppidanorum libertas increvit, neque hujus rei momentum ad universam Civitatis rationem mutandam indicare.

Verumtamen Italiam insipienti apparebit, Universitates, quibus novo quodammodo vigore effloruit Institutio, in ea ipsa tempora incidere, quibus paulo ante ad meliorrem in civitate conditionem pervenerant cives per Communitatum libertates; ita ut libera illa artium et litterarum corpora ex communibus hisce libertatis palladiis originem duxisse non immerito existimentur. (2) Quodsi verum est in Italia, eadem quoque in Patria nostra reipublicae mutatio aequa civium animos eo ducere potuit, ut Institutionem Juventutis majori cura prosequerentur, eaque in re jus suum vindicare atque stabilire studuerint.

§ 2. *Civitates Belgii quam libertatem acceperint in rebus suis gerendis.*

Quamquam exemplis nonnullis supra jam ostendimus, Comites, Duces, ceterosque terrarum Dynastas, Scholarum curam sibi vindicasse et deinde aliis sive privatis ad vitam, sive in perpetuum corporibus quibusdam, ut puta

(1) RAEPSET, *Analyse*, L. VII. c. 1. *Oeuvres Comp.* T. V. p. 299. VAN LOON, o. c. T. III. p. 267. T. IV. p. 45 seqq. MONTESQUIEU, *Esp. d. Lois*, L. XXVIII. c. 45.

(2) Cf. K. D. HÜLLMANN, *Staedtewesen des Mittelalters*, Bonn. 1829. T. IV. pag. 335.

capitulis et similibus tradidisse; tamen qui terrarum domini aut *Feudorum capaces* non erant, hi omnes ejusmodi juris participes esse non poterant. (1) Hinc quidem Institutionis curandae jus, quale mandatum acceperat clerus atque proprium sibi vindicaverat, Ecclesiae revera exciderat, verumtamen extra clericorum orbem nullus erat ingenii cultus, ita ut Institutionis tutela ad Ecclesiam ultro rediret. (2) Priusquam maxima civium pars civitatis statum concupiverat, deerant quibus instituenda juventus curae esset cordique, ipsa deficiente Instituendi facultate. Quamobrem, quae ex emancipatorum civium numero extiterunt *Communitates* (*gemeenten*), earum naturam cognoscere refert, ut de civium juribus posset judicari.

Constat diversis temporibus Principes urbibus haud exigua tribuisse jura vel ob fidem egregie praestitam vel ob largitionem pecuniae, iisque majora continuo adstruxisse «usque adeo ut non contemnendam istorum privilegiorum a Comitibus datorum partem recte dixeris esse jura civitatis cujusque municipalia, ac politicas de civium regimine leges.» (3) Quibus ita privilegiis principes mactaruntur turbes, postquam per litteras redemptorias (afkoop-brieven) eas emancipaverant (4) erant ea communia omnibus urbis sociis; unde hi, quatenus ita ejusdem oppidi privilegiis uterentur eodemque juris vinculo essent obstricti, corpus quoddam constituere coeperunt civium sive oppi-

(1) KLUIT, o. c. T. IV. pag. 58.

(2) HEEREN, *Ges. d. Stud. d. klass. Lit.* §. 54 et 82. Coll. supra c. 2. §. 1.

(3) VOET, *Comm. ad D. tit. de Const. Princip.* N.^o 15.

(4) KLUIT, o. c. T. IV. pag. 111 seqq.

danorum ; eo sensu ipsi Principes fuerunt horum corporum sive communitatum auctores. Permansit semper intactum penes eos summum imperium et, quod peculiari privilegio oppidanis non erat tributum, id Principis proprium esse non desiit. (¹)

Ne vero haec oppidanorum libertas ad licentiam vergeret, sed ut salvis privilegiis contineretur justis limitibus, mature jam prospexerunt principes, legibus constituendis et magistratibus cooptandis. Hinc urbes propriam accepserunt jurisdictionem et magistratum, qui Principis nomine jus dicebat, Scultetum. Hic tamquam arbiter inter Principem et oppidanos praeter judicia gubernabat atque curabat omnia quoque, quae ad πολιτεῖαν proprie pertinent; quare illius talis erat natura muneris, ut Principis magis rationem duceret quam oppidanorum. His autem, ut peraeque consultum foret, ex eorum numero quidam constituebantur Scabini, qui in jure dicendo Sculteto assiderent eumque auxilio suo adjuvarent in quibusvis negotiis administrandis. Eatenus Scabini magis communi oppidanorum saluti prospexitse dicuntur et comparari possunt cum iis, qui postea increscente urbium auctoritate concilii municipalis fuerunt senatores (Leden van den Stedelijken Raad), quorum officia sic initio cum judiciario munere coaluerunt. ()

Multis ita constitutis civitatibus, quod cuique proprium erat jus municipale, ei procedente aetate accesserunt varii generis privilegia, quorum imprimis insigne habetur pri-

(¹) KLUIT, *Prim. Lin.* §. 622.

(²) Cf. BONDAM, *Charterb. van Gelderland*, T. I. pag. 249 et seqq.

vilegium, quo jam mature urbibus facultas est tributa de rebus suis *choras* (keuren) constituendi. Gaudebat eo jure modo Scultetus approbantibus Scabinis, modo ipsi Scabini una cum Sculteto, prouti principis Privilegium magis minusve esset circumscripsum. Sic etiam urbium facultatem coarctavit ipsius Principis imperium, quod ne ex choris constituendis damnum sentiret, prudenter imprimis cave-runt Comites, varias suis privilegiis clausulas adstruentes salutares «behoudens ons recht, behoudens onzer graeflicker gewelt.»⁽¹⁾ Atque ita cum singulae urbes suis parent legibus administrativis, licebat tamen Principi, ubi aliquid auctoritati suae detrahi animadverteret, choras infringere atque irritas esse jubere.

Cum ita semper Principis jura obstabant oppidanorum auctoritati, eam contra amplificarunt concilia illa omnium civium municipalia, quibus comitiorum nomen tribui possit. Ex his enim, mutata sensim rerum facie, prodierunt postea plurimi in republica administranda Proceres, urbium *Delegati*, quorum ingentem fuisse auctoritatem in Foederati Belgii civitate, neminem latet. Quodsi vero ci-vium juribus politicis excolendis occasionem dederint haec comitia, tamen qualia fuerunt sua origine, non nisi ad sententias ferendas de rebus municipalibus quibusdam ci-bus erant concessa. Ita primo iis aderant convocati omnes; deinde vero, quum negotia publica negligerent qui inferio-res erant conditione et opibus, Prudentiorum (Vroedschappen) tantum esse videbatur publicis hisce consiliis interesse. Fuit haec universa comitiorum conditio usque

(1) KLUIT, *Holl. Staatsreg.* I. I. pag. 145.

ad Burgundiaceae stirpis Principes, a quo tempore sensim sensimque singulae urbes certum Prudentiorum collegium acceperunt ex constitutione Principis. Quo plures ita cives comitiorum erant participes, ita minor fuit eorum auctoritas, quae saltem antiquitus non nisi causas quasdam pecuniarias, vectigalia et similia amplectebatur, cum omne regimen municipale (Stadsbestuur) integrum permanserit penes magistratus, quibus haud raro ex oppidanis perpaucitatum adjungi solebant senatores (Raden). (¹) Quamobrem illud imprimis cavendum est, ne, quidquid publica auctoritate in singulis urbibus ad rem municipalem procurandam sit decretum, id civium suffragiis statim tribuatur; unde etiam extensus rerum municipalium orbis magistratum auctoritatem plus quam civium adauxisse dicendus est. Haud secus in rebus publicis gerendis, quasdam imperii partes gessisse cives aut per representationem aut in comitiis, hac, de qua agimus, aetate, dudum jam omnibus controversiis exemerunt qui scripsere de hoc arguento, (²) sed monuisse hujus loci erat, quo cautius nunc historiae viam persequamur.

§. 3. *Scholaram curam primo privatis concedunt Hollandiae Comites.*

Hactenus de Scholas procurandi jure ex communi origine Patrimoniali diximus, quale fuerit prioribus seculis

(¹) De his copiose egit KLUIT, o. c. T. IV. pag. 154 seqq.

(²) Cf. ea de re I. J. VAN HEES, *Disp. de Nobilibus ac Urbibus, sub Comitum Hollandiae regimine ordinis constituentibus*, Ultraj. ad Rhenum 1829. pag. 41 et 57.

usu et consuetudine in terrarum dominos collocatum. Ita jam cujuscunque auctoratis Dynastas, quin et Comites aliosque, tamquam fundi Dominos, Scholarum magisterio ipsos prospexit, nonnulla horum temporum historiae monumenta docuerunt. Quum vero, qui ita superiores erant territorio, illi quoque superiores essent jure, atque ita omnia territorii jura ad paucos transirent Principes, hinc quoque omne fere Scholarum administrandarum jus quo-rumdam proprium exstitit, Comitum scilicet, Ducum aliorumque hujus generis principum, quibus ideo prae ceteris de eo statuere licuit in favorem unius pluriumve.

Hujus rei exempla abundant in variis Epistolis sive Char-tis donationum (giftbrieven) ex seculo decimo quarto ineunte, quibus Hollandiae Comites, ne aliquam patri-monii sui partem amitterent vel aliquid splendoris ei de-traherent, jus suum de Scholis peculiari privilegio priva-tis nonnullis impertiverunt. Sic cum alibi in patria nostra Scholarum magisterium vix curasse videantur terrarum Domini, (¹) qui illud forte, quod conicere licet, Ecclesiae reliquerunt; in Hollandia praesertim Scholae habebantur, quarum magistri Principis epistola muniti, ut omnibus posthabitatis oppidanis juventutem litteris instruerent, pri-vilegii sanctitate consecuti sunt.

Ex his privilegiis quum non exiguis plerumque redun-daret pecuniae quaestus: — Scholarum enim redditus

(¹) In Frisia jus suum procurasse aliquando terrarum Dominos, colligitur paucis ejus rei vestigiis, in iis, quae reperiuntur de Schola Staffensi (Stavoren) in THOE SCHWARTZENBERG, 't Groot Placaat-en Charterboek van Friesland, T. I. pag. 370 seq.

magistro cessisse testantur epistolarum verba «*met allen vervallen ende nutscappen die daertoe behoerd*» sive «*mit sulken nutscappen profiten ende vervallen als mit rechte daertoe staan ende custumelic is*» — hinc Scholarum magisterium ad eos saepe detulerunt Principes, quorum virtutes atque officia meruerant, quae publico grati animi testimonio condecorarentur. Quare jam intelligitur, magistri munus non ita vile fuisse hac aetate, quale nonnulli id sibi finixerunt. (¹) Quid? quod magister quidam Scholae Lugdunensis aliquando Principis decreto non modo ad insigne in regia aula munus est vocatus, verum etiam antiquum suum magisterium eo non amisisse dicitur. (²)

Ceterum ut haec mittantur, quemadmodum omnia privilegia donatoris voluntate aut coaretari possunt aut extendi, ita quoque Comites pro arbitrio Scholarum suarum magisterium erogarunt vel ad vitam «*durende alsoe langhe*

(¹) Ita D. BUDDINGH (*Gesch. van Opy. en Ond.* T. I. pag. 45) ex nomine *Schrijf- en Schoolambacht* argumentatus est de munere magistrorum parum honorifico, quippe qui essent, quales hodie dicimus *ambachtslieden*! Exhibit tamen ipse auctor diploma Comitis Hollandiae de Schola «*van onser poerte ende van onsen ambochte van 's Gravensande.*» Cf. DU CANGE in voce *Ambactus*. RAEPSAET, *Anal.* N ° 242.

(²) Cf. VAN MIERIS, *Groot Charterboek der Graven van Holland*, T. II. pag. 345. «*Wi Willem Grave enz. maken cond allen luden, want wi Meyster Andries, Scoelmeyster van Leyden, uyt der scole voersz. ghenomen hebben ende gheset bi onsen dochter, der Conin-ghinne van Aelmangien, hoer Clerc te wesen, so willen wi niet, dat hi daer bi ghemirret si, ende willen, dat hi die scoele voersz. behoude ter thyt thoe, dat hi elwaer versien worde, of tote onsen wedersegghen.*»

als hi leeft » vel etiam ad tempus duraturum « tot wederseggen toe. » Similiter donatario nonnumquam facultas data fuit, alterum, qui in ejus locum succederet, eligendi magistrum; quae tamen beneficia ne ad exemplum trahantur, vetat juris regula monens, ea, quae Princeps alicui ob merita indulserit, personam non egredi. (1) Qui sic Scholae princeps erat non vero magister, is nonnumquam *Scholaster* dicebatur et quasi erat Patronus *magistri*. Hinc nonnumquam legitur de Scholastro: « *magt hebbende van schoolmeesters te benoemen.* » Posit igitur a *Magisterio* distingui *Scholasterium*. Quum tamen utrumque saepe esset conjunctum et etiam Comes dicatur habuisse *magisterium*, discrimen, quod postea magis cernitur, tamen primis temporibus non aequa semper fuit perspicuum.

Singula haec, quae privilegiorum plenitudine data, ad unum alterumve privatum transierunt jura, optime innotescunt ex diplomate GUILIELMI IV Comitis de Schola Delforum statuentis: « Willem enz. — maken cond allen » luden, dat wi voir ons ende voir onse nacomelingen ghe-
» gheven hebben, ende gheven mit desen brieve Mester
» Clays Merren, onsen trouwen cleric, omme menighen
» trouwen dienst, dien hi onsen Ouders, ende ons ghedaen
» heeft, ende ons noch doen sal, die scole, die costrie,
» ende de schryfambocht van onser poerte van Delfd tot
» sinen live mit alsulken vervallen, ende renten als dairtoe
» behoren, te bedriven, ende te verwaren, of doen ver-
» waren van sinen weghen, ende hierbi en sal niemand scole
» houden, costrie verwaren, noch scryfambocht hantieren

(1) L. I. §. 2. D. *de Const. Princ.* (I. 4.)

»binnen der prochye van Delf dan Meester Clays voirsz.
»of die ghene, dien hyt bevelen sal van sinen weghen;
»ende soe wie dair jeghens dede, dat soude wi houden
»ane hem, also ane den ghenen die onse heerlichede aue
»tasten wilde. Ende onbieden allen onsen ghoeden luden
»van der prochye van Delf voirscreven, dat si Master
»Clays Merren voirsz. of den ghenen, dien hyt bevelen
»zal van sinen weghen, alsulke renten, ende vervallen
»alse der scole, der costrie, ende den scryfambocht voir-
»ghenoemt toe behoert, rusteliken ghebruiken, ende vol-
»ghen laten zonder enich wederzegghen. In oirconde
»enz. — » ⁽¹⁾

His et similibus, magis civium favorem spectasse
Comites quam Ecclesiae, ultro appareat. Privilegia hujus-
modi largientes et de Scholarum magisterio statuentes,
nulla habita clericorum ratione, certe hierarchiae non
profuerunt Principes. Quare quum ita ipsa Ecclesia suos
intra limites se compelli jam animadverteret, eique metus
esset, ne Scholarum curam prorsus amitteret, quamdiu po-
tuit auctoritatem suam Institutioni interponere studuit. Hinc
enim interpretamur quod de Schola Roterodamensi legi-
mus, cuius magisterium postquam eidam PETRO MARRENO
dederat Hollandiae Comes priva lege, hanc canonica appro-
batione muniri voluerunt suo *vidimus* Canonici, qui voca-

(1) VAN MIERIS, o. c. T. II. pag. 662. Est hoc diploma omnium,
quotquot ex hac aetate *vidimus*, amplissimum. Illud integrum exhibuimus,
quandoquidem desideratur apud BUDDINCH in o. c. nec
non in edito ab eodem Diplomatum Catalogo in *Letterbode*, 1846,
N.º 34 et 35, ubi omnia enumerantur documenta et ipsi et Cos. RO-
BIDE VAN DER AA nota. Alia vide in nostra Appendix.

tur: « ARNDT , *Canonic de Premonstret, ende Prochiepaep van Sciedamme ende ANDRIES, Prochiepaep van Vlaedinge.* » (¹) Ejusmodi certe probatione non opus erat, ut omnibus rata haberetur Principis voluntas. Ita quum paulo post revocavit Princeps priorem donationem et alii tradidit magisterium Scholae, (²) epistolulas de hac re clericorum confirmationem accepisse non constat, ideoque Canonicam auctoritatam parvi fecisse videtur GUILIELMUS. (³) Ceterum harum comprobationum usus quin diu quoque viguerit, dubitari nequit. (⁴)

Universe adhuc sub Comitibus stirpis Hannoniensis proprium fuisse videtur Principum, qui ipsi Scholarum magistros cooptarent eosque per privilegia in magisterium suum instituerent. Praeter Scholam Roterodamensem et Delforum, illud de Scholis Sandae Comitis ('s Gravensande) et Hornae(Hoorn) quoque patet ex Chartis aº 1322(⁵) et 1358 (⁶) sed et multis aliis locis obtinuisse verisimilli-

(¹) VAN MIERIS , I. I. pag. 453.

(²) De dato 10 Martii 1336 v. MIERIS , I. I. pag. 575.

(³) Eo sensu pronunciavit HÜLLMANN , *Staedtewesen* , T. IV. pag. 342. « Von Anbeginn des Schulwezens im besitze desselben , hielten „es die Geistlichen für ihr Alleinrecht, erhoben sich also gewöhnlich dagegen , wenn eine Burgherschaft oder Pfarrgemeine, oder auch der Landesfürst aus eigener Macht eine Schule anlegen , und Weltliche als Lehrer anstellen wollte. » Quin et paulo post ipsam ecclesiae confirmationem vocat *eine Überflüssigkeit.*

(⁴) Ad annum 1469 videre est de Schola Urbis Zierikzeae in diplomate quod dedimus in Append. N.º 1.

(⁵) VAN MIERIS , o. c. T. II. pag. 282.

(⁶) Idem , T. III. pag. 74.

mum est. (1) Quamdiu de suo jure non in perpetuum statuerant Comites, Scholarum cura iis propria permansit, ubicunque in eorum domaniis habebantur. Itaque Urbium cives nisi Principis beneficio muniti, universae Institutionis cura erant destituti, nec melioris conditionis in his fuisse Ecclesiam explorati juris est.

§. 4. *Scholarum cura postea Civitatibus conceditur per privilegia.*

Videntur Hollandiae Comites hanc patrimonialem, ut ita dicam, Scholarum tutelam gessisse universe usque ad seculum decimum quartum medium. Quo plures tunc favores Urbibus concedere studebant, eo majora quoque jura et beneficia suis privilegiis erogare et oppidanorum civitatibus largiter tribuere coeperunt. Ita factum est, ut Scholas procurandi jus in commune civitatum commodum alienaverint magis magisque, postquam primum, ut opinor, hujus rei exemplum dederat, qui civium suorum precibus non mediocriter indulsisse dicitur, FLORENTIUS V. Hujus saltem Comitis reliquum est omnium antiquissimum diploma in favorem Dordracenorum a° 1290 ita scriptum:
« Wy » Floris, Grave van Hollandt, maken condt ende ken-
» nelick alle denghenen, die desen Brief sullen sien of hoor-
» ren, dat wy om menighen ghetrouwuen dienst, die onse
» lieve getrouwe poorteren van Dordrecht, onsen voorsaten

(1) Cf. *Naspeuring en Aanwijzing ad Handvesten, Octroijen etc. van Vlaardingen*, 1782. pag. xci. et D. VAN BLEYSWYCK, *Beschryving der stad Delft*, 1667, pag. 587.

ende ons dick ende mennichwerf vlytelick hebben
gedaen ende altoos bereet syn te doene — — soo heb-
ben wy onsen voorz. poorteren ghehenghet ende gegeven
dat sy eeuwelycke vorwaert neer die gift van der scholen
t' Dordrecht ende van der costerien aldaer , selve geven
moegen daar sy willen , en dien syt jonnен etc. » — — (¹)

Hoc privilegio instructi Dordraci cives de Scholarum magisterio ipsi decernere jam potuerunt antiquitus et inde omnia commoda percipere. Brevi post sub finem imperii JOANNIS II. Comitis civibus urbis Zierikzeae eundem tribuit favorem procuratorio nomine GUILIELMUS Comitis filius , cuius epistolam etiam multis annis post comprobare sagedit Prior Conventus Carthusiorum prope urbem,(²) quemodmodum illud continuo flagitasse Ecclesiastiam supra jam ostendimus. Ipse GUILIELMUS paternam hereditatem adeptus in Scholarum magisterio urbibus tribuendo ulterius progressus non est. Per spatium utique dimidii fere seculi nulla nobis innotuerunt ejusmodi privilegia; cuius rei causa in eo posita esse videtur , quod junctis Hollandiae et Hannoniae sub uno Principe provinciis , illam prae altera neglexerit Comes. (³)

Ad finem demum imperii GUILIELMI IV anno 1342 novum sese offert donationis exemplum pro Delforum

(¹) VAN MIERIS , o. c. T. I. pag. 503. Coll. MATH. BALEN , *Beschryving van Dordrecht* , 1677 , pag. 438.

(²) Ipsum donationis diploma d.d. 6 m. maji aⁱ 1304 exstat apud VAN MIERIS , l. c. T. II. pag. 38 et 39 et desideratur in *Letterboek* , l. l. ; quare illud exhibuimus in App. N.^o 1.

(³) WAGENAAR , *Vaderl. Historie* , T. III. pag. 234.

oppidanis, (1) qui, lite cum Comite pacata , haud exiguum jurisdictionis aliorumque jurium privilegium acceperunt , quorum adnumerantur quaedam his verbis : « Voort »om alle dinck te verklaren tusschen ons , ende onse »goede luyde voorscreven , zoe hebben wy hem ander cleyn pointen ghegeven , also die borye , make- »laerdie , met dat vuytsetten van den coern , die butter- »mate die scoele etc. » — — (2) Eodem anno Amstelodamensibus indulxit Comes « die Schole dat Schryfam- »bocht ende die Costerye binnen hare vryheden te geven , »die es hen genoeght. » (3)

Mortuo vero GUILIELMO IV turbae civiles maxime videntur impedivisse quominus plures Hollandiae urbes similes favores nanciserentur. Itaque novam plane viam inuit ALBERTUS BAVARICUS statim ac regno potiretur. Is majori quam consueverat largitione , sive ut redditus suos augeret sive ut precibus cederet oppidanorum , tot tantaque erogavit privilegia , ut ejus praesertim auspiciis urbium auctoritas plurimum creverit. Abo inde tempore plerisque Hollandiae civitatibus jus cessit Scholas pro arbitrio constituendi , nonnumquam tamen , ut constat , pretio soluta vel promissae pecuniariae pensionis (Bede). Illud disertis verbis testatur ALBERTUS Aquis-Veteribus (Oude-

(1) De Delforum jure Scholam procurandi aⁱ 1340 , perperam loquitur BUDDINGH . o. c. T. II. p. I. pag. 51.

(2) VAN MIERIS , o. c. T. II. pag. 666. Privilegii meminit D. VAN BLEYSWYCK , Besch. der stad Delft , pag. 587 , idque sibi ignotum esse fatentur auctores Catalogi supra cit.

(3) Idem , l. l. pag. 669. Handvesten van Amsterdam , P. I. pag. 11. Coll. WAGENAAR , Gesch. van Amsterdam , 1761. P. II. pag. 106 et 123.

water) Scholarum privilegium tribuens: «Ende hier-
»van heeft onse Stede voorseydt alsoo veel gunste gedaen,
»dat ons wel gheneucht, alsoo veel voorghedaen dat ons
»bekennen voldaen ende betaelt van twee beden, dat is te
»weten van onse huldinge ende hylicke die sy ons voort
»desen tyt schuldich was, scheldende daer af quyt.»⁽¹⁾
Quare dignus sit ceteroquin ALBERTUS qui bene meruisse
de Institutione dicatur, tamen quod plura ejusmodi indul-
serit privilegia quam ceteri Comites, id magis gratiam
captandi studio quam literarum curae tribuendum esse
arbitror. ⁽²⁾ Sunt praeterea qui de Scholarum emtione
dicant, maxime, ut puto, superioris exempli auctoritate
freti. ⁽³⁾ Quorum sententiam vulgarem haberi licet potius
quam veram, suadente cel. KLUITIO ⁽⁴⁾ qui privilegia,
quoad de domaniis statuebant, pleraque gratuita fuisse
fatetur.

Ceterum quo tempore quibusve conditionibus singulae
urbes jus Scholarum adeptae fuerint donante ALBERTO,
ex ipsis privilegiis judicari licet. Cognita nobis sunt, quae
data fuerunt Harlemo a° 1389, ⁽⁵⁾ Alemariae a° 1390, ⁽⁶⁾

(1) VAN MIERIS, o. c. T. III. pag. 609.

(2) SECUS BUDDINGH, o. c. T. II. p. I. pag. 61.

(3) Ita CRAMER, in o. c. pag. 294 loquitur, acsi omnes urbes jus
suum a principe coemerint. Nec dubito quin in eo nimium amplifi-
caverit sententiam, quam exposuit Doct. DELPRAT in opere mox
citando; quem auctorem secutus esse videtur.

(4) Holl. Staatsreg. T. IV. pag. 229, 163, 240.

(5) Handvesten en Privilegien van Haarlem in TH. SCHREVELIUS,
Harlemias, 1734. T. IV. pag. 28 seq.

(6) VAN MIERIS, o. c. T. III. pag. 570. Handvesten van Alkmaar
en Hoorn, 1667. pag. 16.

Scidamo a° 1394, (¹) Aquis-Veteribus a° 1394, (²) Hornae a° 1396. (³) De Schola Roterodamensi superest quidem ALBERTI epistola a° 1402, sed ex diplomatis verbis liquide constat, fuisse urbis privilegium multo antiquius, et dictam Chartam non quidem donationem continere primaevam, sed prioris confirmationem, postquam antiquissimum suum jus tabulis probaverant cives. (⁴)

De Schola Hagana aliam plane rationem secutus est Princeps. Non enim communi civium corpori eam donasse dicitur, sed uni capitulo Hovano (ten Hove), in favorem, ut videtur, canonicorum, quorum unum pretio emisse Scholam gratisque capitulo tradidisse constat, ut profecto aequitati congruum esset, ne Comitis largitiones fierent in detrimentum piae donationis. (⁵) Non minus caute semper prospexerunt Comites, ne acquisito tertii cujusque juri nocerent privilegia, statuentes, ea modo valitura post mortem

(¹) VAN MIERIS, T. III. pag. 613.

(²) Idem, T. III. pag. 608 seq.

(³) Idem, T. III. pag. 645. VELIUS (*Chronick van Hoorn*, Ed. 4^a. pag. 20) exhibet diploma d. d. 19 Aprilis 1390. Cujus tamen verba et dies docent omnino, anni discrimen tantum vitio typographicō esse tribuendum.

(⁴) VAN MIERIS, I. I. pag. 770. «Want ons op desen tyt van onser getrouwener Stede van Rotterdam getoont en wel onderwyst is »met goede Handvesten, dat sy van onse voor ouderen, Grave te Holland, besegeld hebben, als dat sy die Officien — — van de Schole ende van de Costerien binnen derselver onser Stede selven sullen bevelen ende geven, daer sy een wyl tyds of vervreemt ende verkort hebben geweest — » Cf. tamen BUDDINGH, o. c. T. I. p. I. pag. 75.

(⁵) DE RIEMER, *Beschr. van 's Gravenhage*, T. I. p. I. pag. 203 et seq.

eius, qui tempore donationis Scholam justo titulo teneret.

Ceterum ad privilegiorum naturam quod attinet diversa inde jura urbes petiverunt magis minusve plena, secundum donationis ambitum. Fuerunt pleraeque ejusmodi donationes illimitatae, nulla addita conditione, i. e. jus Comitis transiit ad magistratus municipales, Scultetum et Scabinos, qui uno verbo dicuntur *ons gerechte*. Contra vero in urbibus Harlemi et Alcmariae Scholas procurandi facultas ita fuit coarctata, ut hic magistratibus liceret tantum antiquare magistri cooptionem, quae ipsa erat ecclesiae Parochanis relictam, (1) illic autem magistratus una cum Parochano magistrum instituerent. (2)

Quamquam abundant exempla probationum, quibus Principes Hollandiae, quod antecessores sui erogaverant, se ratum habituros sunt professi, atque etiam, qui ea de re scripserunt ex industria, copiose probarunt, juris publici principiis hac aetate congruum fuisse, ut, quod quisque princeps decreverat aut ordinaverat, id non aequem semper obligaret successorem, (3) tamen quod in perpe-

(1) « — dat die Keremeesteren van Alcmaer die nu syn, of namaels wesen sullen, gheven mogen bi goed denken ons Gherechts » van Alcmaer, die Scoele binnen onser Stede voersz. — »

(2) « — Soe hebben wy ghegeven die Scoel binnen Haerlem als »dat onse stede mit onse persoene aldaer die nu is of namaels ko- »men sal eenen Clerc die Scoel gheven sal. » — Parum prudenter ita singulorum partes in magisterio curando distributas fuisse, postea docuit lis inter Parochanum et Magistratus de Academia constituenda orta, de qua vide infra ad finem §. 4 hujus cap. in not.

(3) KLUIT, Holl. Staatsreg. T. IV. pag. 276 et ejusdem *Primae Lineae*, §. 518 seqq. Coll. J. DOORNIK, Diss. *de Magno Mariae Privilegio*, L. B. 1792. 4°. cap. 3.

tuum et jure fuerit constitutum, id firmum fuisse atque in posterum valitum etiam sub Comitum imperio, affirmare non dubitaverim. (¹) Jus autem Scholarum, quod privatis plerumque ad diem tribui solebat, urbibus plerumque in perpetuum tradiderunt Comites «*voor ons ende onse nakomelingen, tot eeuwigen dage, sonder verbreken;*» ita ut, nisi plane juris laesionem continerent, ejusmodi privilegia nullius probationis indiguisse aut contraria voluntate postea infirmari potuisse videantur. Nec est quod huic sententiae obstent duo diplomata confirmationis GUILIELMI IV Comitis, alterum de Schola Scidamensi, (²) de Roterodamensi alterum. (³) Etenim edita ea fuerunt annis 1394 et 1402, quo tempore adhuc ALBERTUS BAVARICUS imperii fasces tenebat, ita tamen ut filius ejus GUILIELMUS non exiguum jam imperii partem sustineret. (⁴) Quare, quod in duorum imperio fieri solet, ut quod alter sancivit ab altero quoque ratum habeatur, plane id fecisse videtur GUILIELMUS paterna privilegia comprobando; neque ut de peculiari jure cogitetur, quod GUILIELMUM inter et dictas urbes intercesserit, militat ulla ratio. (⁵)

(¹) Cf. KLUIT, *Pr. Lin.* §. 564.

(²) VAN MIERIS, o. c. T. III pag. 620.

(³) Idem, l. l. pag. 770 et seq.

(⁴) Cf. WAGENAAR, *Vad. Hist.* T. III. pag. 364. Huc pertinet quoque quod monuit KLUIT, *Prim. Lin.* §. 565, magistratus creandi jus, si per absentiam aliisve de causis exercere non possent Comites, nonnumquam etiam Comitis *filio* fuisse demandatum.

(⁵) His responsum velim auctori op. *Gesch. van Opo. en Onderw.* (T. II. p. I. pag. 77), qui hanc sententiam dubius proposuit.

Haec de Principum juribus civitatibus per privilgia datis jam dicta sufficientant. Quum vero quibuscumque fundi juribus Principes gaudebant, eadem quoque habent minores illi Dynastae, qui terras suas vel primaevi dominii titulo vel Principis beneficio tenebant, hinc illi quoque civitatibus in Dynastia sua constitutis Scholarum privilegia nonnumquam, ad Comitum exemplum, impertiverunt. Ita Dominus Voornensis in favorem Briliensium suorum statuit anno 1342. « Item, sullen Schepenen, Burghe- » meysters, ende Raet van den Briele kiesen, ende hebben » scoelmeesters, die hem genoecht. » — (1) In Scholam Lugdunensem, cujus regimen aº 1374 penes Comites fuisse supra vidimus, aliquando jus quoddam sibi vindicavit DREDERICUS Vicecomes ex stirpe Wassenaeria, quod quum validis tabulis probare non posset, lite composita cum oppidanis, integrum urbi restituit sancteque custoditurum se promisit per decretum aº 1356. (2) Similiter Scholae Gaudanae memoriae proditum est curam ad oppidanos transiisse, favente urbis Domino, Guy, Comite Blosensi: (3) saltem nova ibi Schola condita fuit auctoritate municipali, et ex communi arca magistratus penderunt honoraria magistrorum.

Quodsi ita quarundam civitatum privilegia ex minorum Dynastarum largitione repeti debeant, inde tamen non sequitur ea inferiora fuisse jure. Etenim plerique ejusmodi Dynastae jura sua a Principe data ipsi tenebant,

(1) VAN ALEKMADE EN VAN DER SCHELLING, *Beschrijving van den Briel*, T. II. Privil. en Handv. pag. 28.

(2) VAN MIERIS, o. c. T. III. pag. 9.

(3) J. WALVIS, *Beschrijving der stad Gouda*, pag. 213 et seq.

atque ita eorum privilegia revera quoque Principem habuerunt auctorem; sed etiam siqui fuerint praeter Belgii Principes adhuc liberi, quales dicuntur, Dynastae, hi praeter Superioritatem Territorialem ejusdem erant conditionis ac Comites aliique et, ut qui ipsi essent parvi Principes, de juribus suis statuentes, pari auctoritate egerunt.

Invaluit ita in Hollandia, per breve temporis spatium, universa Scholas administrandi ratio, a priori maxime diversa, post auctam per privilegia communitatum auctoritatem. Quamobrem etsi nequeant cum universitatibus comparari Scholae municipales, utrisque tamen communem esse originem intelligas. Sub imperio Comitum Hannoniensis et Bavaricae prosapiae imprimis has Scholas exstitisse verisimile est, et ubique fere adfuisse quum imperii sedem occuparunt Burgundiaci Principes. Ceterum qui rura colebant, sive Toparchae sive Ambacti, eorum jura in communem utilitatem non tam facile permutari potuerunt, atque adeo, per multa secula ita ad nos pervenerunt, ut, quod perdolemus, quidam ad ea hodie provocare potuerint.

§. 5. *Quae jura circa Institutionem privilegiis acceperint civitates.*

Postquam ita significavimus, unde cives quoque ad aliquam Institutionis curam pervenerint et quomodo cum iis Principes aliquid sui juris communicaverint, proximum jam est, ut ea intueamur, quae civitates ad Institutionem ordinandam decrevisse dicuntur. Itaque scire interest, quid in hac re juris fuerit civibus ex auctoritate

privilegiorum, si quidem, quem locum hac aetate in Jure Publico tenuerit Institutio, mente complecti velimus.

Manifestum jam est, Scholam sive Scholasterium antiquitus Comitis Domaniis solitas fuisse accenseri et quidem ad ea jura pertinuisse, quae vulgo uno nomine dicebantur *kleine poincten*. ⁽¹⁾ Quatenus inde lucrum percipiebant Principes, eatenus in bonis habuerunt Scholas et de iis libere decernere potuerunt. Quodsi jam ex privilegiorum verbis quaeritur, quale fuerit Principis beneficium, revera Scho-la dominiū translatum fuisse videtur, ita ut inde fructus percipiendi jus ad cives transierit. Ut autem domino de re sua pro arbitrio statuendi facultas tribuitur, modo ne rei publicae eo damnum inferat, ita quoque civitatibus licebat suo arbitratu de Scholis statuere. Hinc non modo jure suo utebantur quotiescumque publicus ludimagister erat instituendus, sed etiam quocunque jus sibi competitum ex Principis privilegio, id cedere licebat. Hujus rei exemplum exstat in Schola Dordracena, quam uti a^o 1290 civibus tradiderat FLORENTIUS Comes, ita ipsi cives a^o 1292 communi consensu alienarunt in commodum Nosocomii Municipalis. ⁽²⁾

At vero, licet ita de jure quodam reali cogitari possit, quod civitates magis minusve plenum habuerint, prout illud epistolis suis coaretasset Princeps, tamen si quando historiam testem audiamus, civitates majora habuisse

(1) Exemplum est in privilegio Delforum a^o 1342 quod supra attulimus.

(2) MR. P. H. VAN DE WALL, *Handvesten, Privilegien etc. van Dordrecht*, Dord. 1770. T. I. pag. 86. Cf. in App. nostra N.^o 2.

constat, quibus Institutioni prospexerint, atque ideo praeter Scholae dominium aliis juribus usas fuisse circa Institutionem.

Simulac enim Scholarum jura in civitates transtulerunt Principes, illi, qui rebus municipalibus gerendis praeerant, de juribus civium excolendis cogitarunt et rem statutis municipalibus sive Choris submittere studuerunt. Ita, ne quis publicis privilegiis vim inferret et oppidanorum juribus noceret, hic et illic mature jam caustum fuit poenali aliqua sanctione. Sic Magistratus Delforum choram tulerunt, quae nobis servata est *sine die et consule* hunc in modum: « Voert en moeten geen knapel Kinderen elwaert » ter Scolen gaen, dan inder Stede-Scole, ende wiese anders settede of ontfinge die verbuerde drie pont, een » derde den Heer, een derde der Stede, ende een derdenen » diet aanbrenget, ten wair by guetduncken vander Stede » Scoelmeesteren. »⁽¹⁾ Similia decreverunt anno 1403 Magistratus Dordraci⁽²⁾ et Harlemi a° 1420,⁽³⁾ ita qui-

(1) VAN BLEYSWYCK, *Besch. van Delft*, pag. 586 et seq.

(2) MATH. BALEN, *Besch. van Dordrecht*, T. I. pag. 674. « Dat men geen Scholen houden en zal van Knechten binnen de Groote Parochye, dan ter Grootter-Schole en dat niemand geen scholieren vaen en neme van der Grootter Parochye, dan by der Rectoers ge moede van der Grootter-Schole, op Drie pont sonder verdragh. »

(3) S. AMPZING, *Besch. ende lof der stad Haerlem*, App. pag. 509. « — dat nyemant Scolen houden moet van knechten dan die Groote Scole binnen Hairlem. Ende dat nyemant syn kinder dat knechtken syn anders ter scolen senden moet noch laten gaen anders dan in die Groote Scole, op een boete van drie ponden also dicke als sy dair off toe gesproken worden. »

dem ut eadem fere legis placita adesse dixeris. Hanc autem chorarum similitudinem nemo sane mirabitur, qui sibi compertum habet, omnes magistratus municipales Principis nomine egisse. Quodsi in civium juribus indagandis, hanc fuisse magistratum muneris naturam teneas, tunc profecto in Institutione procuranda quid juris obtinuerit in civitatibus praeter Scholae dominium, facile intelligi poterit.

Nam exceptis iis, quae mere sunt statuta poenalia, qualia hactenus exhibuimus, dubium non est, quin urbium chorae universum Scholarum regimen ordinaverint et ita de juvenutis Institutione multa tulerint paecepta. Sic de Ordinatione Scholae Arnhemiae jam mentio fit ad annum 1367. (1) Ampliora de Scholae disciplina continet Chora quaedem Dordraci, quam Ordinationis nomine edidit hujus urbis rerum scriptor. (2) Ex praefixis his verbis: « Wart » gecundicht die ordinancye, in wat maniere dat men die » Schoel ter Grooter Kerk voert Regeren ende houden sal: » satis erit manifestum, quali auctoritate se pollere existimaverint magistratus. Continet scilicet dicta Ordinatio quaedam ad magistri licentiam redarguendam, de minervalibus a Scholaribus praestandis, quibus ad finem etiam haec adduntur: « Item, so gebieden den Gueden Luden, dat » nyement, hy sy Man of Wyff, den Rectoer van der Scho- » len ter Grooter Kerk, off syne Medegesellen, die hy tott

(1) VAN HASSELT, *Arnhemsche Oudheden*, T. I. pag. 182. « 1367 feria quinta post Epiphanie Arnhem Gosen Else sederunt de ordinatione Scole. »

(2) MATH. BALEN, l. 1.

»hem neemt , om in der Scholen te Regeren , onstandt en
»bewise (impedimento sit) , met woerden off werken , noch
»in geenre wys en misdoe , noch en doe misdoen , om sake
»wille die hy an den kinderen redelic hantiert om te lee-
»ren . — Item , wat Knechtkens die boven haren Seven
»Jaren syn , die en sal men nergens ter Scholen setten dan
»ter Grooter Kerk etc. » — Quodsi veteres chorarum col-
lectiones perscrutari liceret , dubium non est quin majora
deprehenderes . Posteriori utique aetate urbium chorae de
reproposita usquequaque abundant ; sed haec magistratum
auctoritas , quamquam in decretis suis illam agnoverunt
ipsi Principes , tamen , quod uberioris infra videbimus , tota
a Principis voluntate ita pependit , ut quemadmodum pos-
tea officia magistratum legibus constitutis circumscriberentur , ita tunc sub formula *Mandati* sive *Commissi*
expresse indicarentur . ()

Quantumvis igitur suo arbitrio juventutis Institutionis
curam gesserint aut gerere potuerint Magistratus munici-
pales , in his semper Principis persona agnoscatur necesse
est . (2) Verum etiam quod altero loco omittendum omnino
non est , in Schola municipali procuranda etiam civibus
aliquod suffragium tributum fuisse videtur in ejusmodi
conciliis , quae comitiorum instar erant . Hinc de Schola
Dordracena alienanda decrevisse dicuntur « Rechtre Sce-

(1) A. KLUIT , *Prim. Lln.* , §. 357.

(2) Eo sensu dixit S. H. VAN IDSINGA , *het Staatsrecht der Ver-
eenigde Nederlanden* , Leeuw. 1765. T. II. pag. 369. « dat het Recht
»om keuren te maken , alleen in den hoezem der Oppermacht oor-
»spronckelyck berustende , diens volgens de hevoegtheit daar toe ,
»door mindere overheden , daervan ontleendt moet worden . »

»pene Raet ende die gheme porters van Dordrecht.» (1)
item Chorae Harlemensi inscribitur: «Gecoert by Schout,
»Schepenen, ende Raide, bider Rycheyt ende Vroetschap
»van der Stede van Haerlem ; » (2) quare de civium parti-
bus controversia esse nequit. Longe tamen abest, ut prop-
terea civium arbitrio omne Scholarum regimen subjectum
fuisse dicatur. Differunt inter se quam maxime Scholae
dominium et Institutionis tutela. Illud civibus detulerunt
Principes privilegia largientes adeoque civibus proprium
habebatur, ut, nisi omnibus consentientibus, de eo statui
non liceret. Comoda igitur pecuniaria ex magisterio
percipiunda et quodecunque eo pertinebat, haec omnia
civium suffragiis erant submissa; quod ita verum est, ut
Scholae Dordracenae alienatio in Nosocomii favorem a
civibus facta impedire non potuerit, quominus de ea-
dem Schola Ordinationem tulerint Magistratus. Quodsi
ita a Scholae dominio diversa est Institutionis cura, haec,
quatenus magistratibus mandata intelligitur, ne summi
Imperantis jura offenderet, impedimento semper fuerunt
clausulae illae salutares, quibus freti chorae irritas esse
jubere potuerunt Principes.

Quamobrem in Hollandiae urbibus Scholarum admi-
nistrandarum ratio quaedam publica valuisse videtur,
quae absque ullo momento esse non potuit in universam
indolem atque Institutionis naturam reformandam. Quum
enim liberum esset civitatibus tot, quot vellent, Scholas
condere, earum magisterium optimo cuique mandare,

(1) Cf. App. nostra N.^o 2.

(2) S. AMPZING, l. l.

lectiones, stipendia ceteraque omnia, quae disciplinam spectabant, magistratum auctoritate constituere; nullum dubium est, quin omnis Ecclesiae auctoritas propemodum corruerit, ejusque in locum succederent civium aut magistratum jura et omnium commodi ratio. Quod tamen non ita accipi velim, ac si in ipsa Institutione nihil remanserit Ecclesiasticum. Satis manifestum est, etiam diu post res ecclesiasticas in hisce Scholis fuisse traditas. De jure tantum loquimur, qua in re certissimum est, per Principum Privilegia civitates Ecclesiae exstitisse potiores. (¹)

Imprimis illud conspicuum est sub finem seculi quarti decimi et proximo seculo sequenti, quum institutum *Fratrum communis vitae* sive *collationariorum* quotidie increscens, et praesertim in Provincia Transsalana et Ultrajectina majori fama insigne, Scholas quoque habere coepit, quae omnibus laicorum pueris patebant. (²) Dum enim in Belgii nostri parte orientali Fratrum Scholae non exiguum famam consequebantur, in Hollandia contra perpaucas tantum urbes animadvertisimus, quae Fratrum instituta benevole et ex animo coluerunt. (³) Obstabant scilicet cum civium jura, tum ipsa magistratum municipalium auctoritas, (⁴) quo factum est, ut quotiescumque sedem suam in aliquam urbem transferre Fratres sibi proposuissent,

(¹) Cum nostra sententia conferri potest HÜLLMANN, o. c. T. IV. pag. 335 seqq.

(²) Vid. G. H. M. DELPRAT, *Verh. over de Broederschap van G. Groote*, Utrecht 1830.

(³) DELPRAT, o. c. p. 179.

(⁴) Idem, ib. pag. 183.

intercederent urbis privilegia essentque impedimento. (1)
Ut Scholas suas rite instituerent Fratres peculiari indige-
bant magistratum decreto. Hinc, quae Delfis aliquando
floruisse dicitur, Fratrum Schola non prius ibi invaluit,
quam Scabini et senatus municipalis illud juventuti utile
fore intellexerant et annuerant, ipsi Fratrum auxilium
coram Principe ordinis, qui Daventriae erat, implo-
rantes. (2)

Quae quum ita sint, in dubium vocari possunt ea, quae
vulgo perhibentur, Institutionis in Hollandia turpissimam
fuisse conditionem, saltem inferiorem quam in ceteris
Belgii provinciis. Etenim si causa, cur Scholae *Fratrum
communis vitae* tantopere floruerint, in eo quaeritur,
quod, licet ecclesiasticum fuerit eorum institutum, tamen
magis quam ceterae Scholae liberae fuerint a clericorum
tutela, et magis quam Canonicae communem spectaverint
utilitatem; profecto Scholae municipales, quarum major
etiam fuit libertas et quae omnium commodis publice
prospiciebant, potuerunt illae majorem praestare utilita-
tem et multo melius juventutis Institutionem procurare.
Hinc de Scholis municipalibus hujus aetatis disserens ele-
ganter dixit cel. HÜLLMANN: « In Beziehung auf das geistliche
» Leben und Streben war zu jener Zeit der Priesterstand,
» einzelne erleuchtete und grossgesinnte Männer allerdings
» ausgenommen, zu vergleichen einem Vogel, dessen Flü-
» gel es niederschlugen, der Bürgerstand aber einem

(1) Idem, ib. pag. 238.

(2) DUMBAR, *Analecta*, T. I. pag. 54. *Oudheden en Gestichten
van Delfsland*, pag. 157. Coll. DELPRAT, o. c. pag. 92.

»Vogel dessen Flügel es schirmte und pflegte.«⁽¹⁾ Fateremur quidem non ubivis in Hollandia omne Scholarum regimen clericorum manibus excidisse, quod si in urbibus non statim obtinuit, multo minus in fundis ecclesiasticis fieri facile potuit. Hinc Schola Renoburgensis, cuius in quadam epistola meminit ANT. MATTHAEUS, anno 1459 etiam Abbatissae Renoburgensi plane erat obnoxia.⁽²⁾ Sunt haec ejusmodi Scholae peculiares Dominicæ, quæ ad exemplum producendæ non sunt.

Ceterum qui GULIELMI V aetate floruit cel. PHILIPPUS A LEYDIS, ille jam monebat in *Tractatu de formis et semitis reipublicae* multum reipublicae expedire, viros habere litteratos; ⁽³⁾ quin et hac in re GULIELMI Comitis curam memoriae prodidit in altero *Tractatu de cura reipublicae et sorte principantis*; ⁽⁴⁾ ita ut merito de exiguo in Hollandia litterarum studio dubitari liceat. ⁽⁵⁾ Quare hujus rei accurata investigatio, quæ nostri argumenti fines egreditur, inveteratam hanc et vulgarem sententiam plenius, ni fallo, redarguet.

§. 6. *Quid juris Summo Imperanti fuerit relictum.*

Privilegorum, quæ a Comitibus data sunt de Scholis,

(1) *Staedtew.* T. IV. pag. 345.

(2) Cf. ADR. PARS, *Rynsburgsche Oudheden*, pag. 306.

(3) Vid. ejus *Tractatus Juridico-Politici* recensuit SEBASTIANUS PETZOLDUS, Amst. 1701, pag. 387.

(4) *Ibidem* pag. 205.

(5) Cf. HUGONIS GROTI, *Paratiton Rerumpublicarum liber tertius*, ed. M^r. J. MEERMAN, Haarl. 1802, pag. 51.

qualis proprie fuerit natura ratione civium, praecedenti § monuimus. Ita de jure quodam municipali circa Scholarum curam dicendi locus fuit; unde simul de Principis juribus nonnulla innotuerunt. Ne tamen incertum maneat, quam personam in re proposita gesserit summus Imperans, breviter quoque de Institutionis conditione ratione summi Imperii dicendum restat, et hac mente hujus aetatis historiam excitabimus.

Quemadmodum Belgii Principum auctoritas natura sua duplex est, cum Domanialis, ex terrarum dominio profecta, tunc Majestatica sive Regalis, quam ex superioritate territoriali consequitur terrarum Dominus, (¹) sic quoque Comitum leges sive privilegia hujus illiusve natum redolent aut plus aut minus, prouti in iis de Principum dominio quodam statuatur aut de jure imperii. Hinc privilegia, quibus aut de magistratum munere aut de urbium auctoritate, de choris constituendis similibusve rebus majoribus quid decreverunt Comites, eorum facile numero adscribi possunt, quas leges politicas dixerunt scriptores. Ea vero quae magis terrarum dominium spectabant, jus administrandi, fructus percipiendi et cetera, ea revera legum nomine venire non possunt. (²)

Jam his rite dispositis, quid proprie fuerint Scholarum privilegia ratione Imperantis, nemini non erit perspicuum. Verum enim vero simul ac Scholarum dominium civitatibus tribuerunt Principes, eo omnis regimen Schoiae et totius Institutionis curam simul tradidisse viden-

(¹) KLUIT, *Primae Lineae*, §. 520 seqq.

(²) Cf. KLUIT, o. c. §. 516.

tur ; civitates utique ab eo inde tempore statim omnem
juventutis tutelam sibi vindicarunt, choras de Institutione
suo arbitrio tulerunt, imo nullam amplius Principis ratio-
nem habuerunt; usque adeo ut summum Imperantem jus
suum in Institutionem abdicasse, sint fortasse qui putent,
ita perhibentes, liberam fuisse Institutionis curam civi-
bus relictam. Quorum sententiam si ex industria refutare
vellem, vereor ne KLUITII⁽¹⁾ MEERMANNI⁽²⁾ aliorumque⁽³⁾
aemulus viderer. Satis hodie manifestum est, Principes ne
exquisitissimis quidem privilegiis de jure summi Imperan-
tis resiluisse. Quemadmodum leges semper intelliguntur
salvis privatis Privilegiis, ita Privilegia intelliguntur salva
publica utilitate, quae suprema semper lex est. Unde Prin-
cipes, quidquid publici juris aliis mandarunt aut dederunt,
illud numquam dedisse abdicative dicuntur. ⁽⁴⁾

Itaque illud tuto jam affirmari potest, utcunque aut
cives aut magistratus de Institutione decreverint in statu-
tis municipalibus, id adeo plenum fuisse numquam, ut eo
quidquam legitimae potestati legislatoriae detraheretur,
quippe quae intacta semper permanserit penes Belgii Prin-
cipes, usque dum multae provinciae ab Austriacae stirpis
Principibus desciverunt et novam constituerunt rempubli-
cam Belgii foederatam. ⁽⁵⁾

Jam vero si quis contra nitatur hoc usus argumento, ex-

(¹) *Holl. Staatsreg.*, T. IV. pag. 146 seqq.

(²) *Gesch. van Graaf Willem*, T. III. pag. 349 seqq.

(³) In his G. W. OOSTEN DE BRUIN, *Haarlem en hare Geschiede-
nissen*, 1765. Vol. I. pag. 76 et 133.

(⁴) *KLUIT, Pr. Lin.* §. 621 seqq.

(⁵) Cf. J. I. VAN HEES, Disp. I.

ceptis privilegiis, non alias adesse de Institutione legitimas Principum dispositiones, unde nisi legis vim tribuas civium decretis et statutis, omnino leges de juventute instituenda defuisse hac aetate videantur: fateor juventutis curam non ita magni fecisse Hollandiae Comites, ut in ea curatione non potius privatis commodis quam publicae saluti prospexerint: undejam tunc temporis questi sunt nonnulli, quod salario magistris detraherentur; (¹) inde tamen aliud nihil sequitur, quam Institutionis curam minus caute semper ad unius Principis arbitrium deferri, sit ille aut JULIANUS Apostata, aut ALBERTUS Bavanicus.

Praeterea multum interest inter diligentiam ordinandi communium legum corpus, quale hodie habetur (wetgeving), et quae tum fuit maximam legislatoris socordiam. Desunt quidem revera ejusmodi communes leges illa aetate; num vero aequa latet legislator? Dubium illud videbitur cogitantibus, legum communium locum occupasse his temporibus peculiaria statuta singulorum locorum conditioni accommodata, quae num pariter defuerint quod ad Institutionem attinet, id certo affirmare non licet. Contra vero integra ad nos pervenit ex seculo decimo quarto Charta quaedam Joannis III Ducis Brabantiae de Schola Bruxellensi, cuius ejusmodi sunt dispositiones, ut prope modum legem adesse dixeris.

Lis erat inter Scholarcham et oppidanos Bruxellarum

(¹) PHILIPPUS A LEYDIS, o. c. pag. 24 seq. et 138. Id fortasse clericis tribuendum est, qui, quo magis Scholae fierent civiles, eo minus magistris antiqua praebenda concedere voluerunt, quum area municipalis ad Salaria praestanda deficeret et ad Scholam sartam tectam habendam multas expensas facere jam debuerit.

de jure instituendi , ita ut praeter Scholarcham alii quoque
Scholas habere flagitassent. Hinc , expositis breviter par-
tium vindiciis , tamquam quae locum dederant Decreto
aⁱ 1320, ita statuit JOANNES: « Begherende ooc dat tusschen
»onse Capitel ende Scolaster , ende tusschen onse poorters
»hier na alle omminne blive afgeleit ende dat der kindre
»profyt gescie ; Wiser liederaet hierin gebruikende, heb-
»ben geordineert, voor Ons ende voor onse nacomelinghe,
»Dat voortmeer niement , wie hi si , sonder oirlof der
»vors. Scolasters oft des oversten rectors van Bruessel
»hem pine te leerene. Ende al eest van ouds gewoenlec
»geweest van rechte , ende geapprobeert , dat maar twee
»scolen plagen te sine , te wetene , eene hooghscole om
»knechte , ende een clene om meiskene , niet te min ,
»op gonste ende vrede onser vorseider poortren , willen
»Wi dat onse vorseide Scolaster , oft rectoir van der ho-
»gher scolen van Bruessel van den selven Scolaster ge-
»deputeert , diet nu es , of namaels ten tiden syn sal ,
»viere ondermeesters setten sal , binnen onser stad van
»Bruessel , ende den vyssten te Molenbeke , omme de
»knechtene ende de viere onderrectoires , ofte onderrec-
»toiressen , omme de meiskene getrouwelic te leerne haer
»klein dinc , totten Donaet ⁽¹⁾ toe , ende niet voorder.
»Ende dan syn die knechtken sculdich te komen totei
»hoger scolen , om aldaer geleert te sine in gramarien , in
»musyken ende in goeden seden. Voort den vijfsten neder
»meester , oft neder meesterssen , sal setten de vors. Sco-

(¹) AELIUS DONATUS , *de octo partibus orationis* , liber tunc in
Scholis valde acceptus .

»laster, oft doverste meester van der hogher scolen,
»daertoe van de Scolaster geset, oft namaels ten tiden
»setten sal, om de kindre te leerene in seden getrouwelec,
»in grammarien ende in musyken. Deze vors. scolen sal-
»men ordineren in onse vors. stad van Bruessele, ten mees-
»ten gerive ofte gemac onser vors. poorters, deen van-
»den anderen staende in redeliker distantien. Wi en wil-
»len niet dat die knechten metten meisnen, in hooch-
»scole oft in nedersolen, tegader gaen selen, en ware
»dat enigh van onsen voirs. poorters meer kindre hadden
»van knechtkenen ende van meiskenen dan een, dat die
»kindre tsamen gaen mogen daer vader ende moeder wil-
»len, behoudelec nochtan de ordinacie van den Donaet,
»hier boven verclaert. Voort es een overmeester sculdich
»te examineren, te visenteren, te berespens ende tonsetten
»die meester oft die meesterssen van den nedersolen,
»ende andere in die stat te settene, also dicke ende also
»menich warven alst den kindren proffyt es, ende hem
»noot duncken sal. » — (¹) Sequuntur porro de magis-
trorum honorario et de mulctis eorum, qui Decreti placita
violaverint, quaedam dispositiones, quas omnes hic
exhibere longum foret. Ex iis vero, quae non excitare
non potui, manifestum satis erit, quam egregie Institu-
tioni consultum voluerit Brabantiae Dux ea aetate, de qua
multi sic judicant, ac si non nisi de Ecclesiae juribus cogi-
tari posset.

Verum etiam, quod imprimis significare hujus loci erat,

(¹) Edidit Diploma J. F. WILLEMS, *Belgisch Museum*, Gent
1837, T. I. pag. 23. ex MS. PETRI A THYMO, *Historia Brabantiae
Diplomatica*.

habemus jam ejusmodi peculiare Legislatoris decretum, quod tunc, deficientibus legibus, earum vicem implevisse videtur. Ita mirum non est, illud canonica approbatione munivisse Decanum ecclesiae Bruxellensis, ⁽¹⁾ quippe quum de re ageretur tunc etiam pro parte ecclesiastica, et in his nulla lege, nisi canonice confirmata, Ecclesia teneretur. Est autem haec clericorum confirmatio tam prudenter scripta, ut Principis decreto se obtemperaturam spoponderit Ecclesia «*alsoe verre alst ons toehoort.*» Quamobrem veritati congruum videtur quod monuit Germanicus de Jure Publico auctor SCHMALZ, Institutionem quidem ecclesiasticam fuisse his seculis, et plerasque Scholaras Ecclesiae disciplinae subfuisse, attamen supremum Institutionem procurandi jus penes Civitatis rectorem fuisse semper. ⁽²⁾

Quodsi igitur Principum summa erat auctoritas, si quando publica salus postulabat, non dubito quin, Comites civitates Scholarum privilegiis mactantes, reliquam juventutis curam tacite magistratibus mandatam voluerint; simulac vero Institutionis conditio talis esset in hac illave

(¹) His verbis: «Wi Deken ende Capitel der kerken van Bruessele, wien die rechten van geesteliken persoenen toehoert van ouds, aensiende hierinne die goede meininge des hoochs vermogens princeen, ons heren tshertogen vors. om pays ende vrede te hebbene tusschen synre Kerken ende der stad van Brussele, doen hiertoe endē geven onsen vrien wille, ende Consent. Ende alsoe verre alst ons toehoort geloven Wi, voor ons ende voor onse naomelinge, vaste ende gestadich te houdene ende te doen houden te ewelicken dagen etc.» — Ibidem pag. 24.

(²) SCHMALZ, *Das Deutsche Staatsrecht*, Berol 1824. §. 450.

civitate, ut ea mutua voluntate ibi curari amplius non posset et peculiari Principis cura indigeret; nihil obstabat, quominus summum Imperium intercederet. Hujus rei scio an majus exemplum afferri possit, quam quod dedit urbs Gandavensis, ubi Comes Scholae curam mandaverat Ecclesiae, haud exiguo civium, ut videtur, detimento. Hinc choram tulerant Gandavenses: «si quis in Gandavo Scholaras regere voluerit, sciverit et potuerit, licet ei nec alius quis poterit contradicere;» quod decretum Principis confirmatione non caruisse constat.⁽¹⁾ Quum vero hic rerum status communi civium saluti parum prodesse videretur, jus Scholarum privilegio delatum fuit clericis, ex auctoritate Principis, nulla amplius habita Chorae municipalis auctoritate. Ita quemadmodum Princeps primo cives tutari voluit adversus clericorum, ut ita dixerim, monopoliū, suam auctoritatem dissensionibus interponens, sic postea communi utilitati consultum voluit per clericorum tutelam. Eodem consilio Comes Hollandiae Scholae Rotterdamensis magisterium privato cuidam indulgens hanc addidit conditionem: «dat onze goede luyden, ende die kinderen, niet versuynt en werden.»⁽²⁾ Quid? quod teste aequali ejus PHILIPPO A LEYDIS, Hollandiae Comes dicitur viros legali lumine radiantes in Scholis retinuisse et a Scholis postea avocasse, ut sic Balivis adessent in jure dicundo periti.⁽³⁾

Licet igitur de Scholarum magisterio tamquam de re sua

⁽¹⁾ Cf. WARNKÖNIG, *Fl. Staats- u. Rechtsgesch.* T. II. p. I. pag. 45 et 46.

⁽²⁾ VAN MIERIS, *Gr. Charterb.* T. II. pag. 575.

⁽³⁾ In op. laud. pag. 205.

libere decernere potuerint Principes, quo magis tamen eorum increvit auctoritas et stabiliora fierent jura majestatica, eo cautius jura illa sarta tecta habere studuerunt et adversus civitates vindicarunt. Sic quoque procedente aetate privilegiorum largitiones coercuerunt et intellexerunt, sua interesse istiusmodi Scholarum magisterium procurare, etiamsi nullos inde reditus amplius perciperent. (¹) Intelligitur inde quod inter PHILIPPUM Burgundiae Ducem et JACOBAM ex stirpe Bavarica actum fuisse legitur per pactum pacis aº 1428, quum Comitissa summum imperium pro maxima parte cedere cogeretur PHILIPPO, una cum novem Tutoribus (Ruwarden) rebus Hollandiae propositis. In notabili, quod hac de re exstat, diplomate (²) decreverunt partes: facultatem magistratus et judices cooprandi fore penes PHILIPPUM; tum etiam magistros instituendis jus ita aequa lance distribuerunt, ut JACOBÆ liceret dimidiam eorum partem cooptandam offerre PHILIPPO. Postea quum novem illi Tutores instituerentur partim a JACOBA partim a PHILIPPO, eorumque portestas circumscribi fuit necesse, diserte iis ademta fuit deliberandi facultas de rebus «'s Hertogen en der Landen »erfachtingheid betreffende — collatien en presentatiën van »geestelyke beneficien en van alle andere ampten en diensten daar geen ontfang aan kleefde.» (³)

Ceterum ut haec missa faciamus, unum restat, quod hic

(¹) Huc pertinent quae de exiguo Scholasterii lucro ex WAGENARIO assert KLUIT, *Inwijdingsrede* etc. pag. 34 in Nota.

(²) *Gr. Placaatboek*, T. IV. pag. 2. Est hoc diploma, ut videtur, parum hodie cognitum, quamobrem illud vide in App. N.º 3.

(³) Cf. WAGENAAR, *Vad. Hist.* T. III. pag. 489 seq.

omittendum plane non est, instituta scilicet hac aetate Universitas Lovaniensis. Jam supra ea in re summi Imperantis jura vindicavimus adversus Ecclesiam, nec minus ea tueruntur sincera Juris Publici praecepta. Quamobrem quae condita dicitur Universitas Lovaniensis, quum Brabantiae Dux esset JOANNES IV (aº 1425), a Principe quoque originem ceperit necesse est, nisi plane quis ea infitias eat, quae hactenus diximus de summo Imperante. Exstant quidem Bullae MARTINI V P. primum Universitatis privilegium continentes; at de condenda Universitate ipse JOANNES primus cogitavit. Quid? quod Pontificis Bullae non nisi per Principis *placetum* plenam auctoritatem nancisci potuerunt. (¹)

Ita Principis auspiciis nec Belgium nostrum Universitate caruit. Quod vero tardius in eo fuerit et tamdiu apud peregrinos hauserit liberaliorum studiorum nutrimenta, id praesertim minori Principis curae tribui licet. Sic quoque languente nonnumquam sub rerum publicarum clade Principis animo, fieri potuit, ut magistratus in Publicam Institutionem ulterius se irruerent et suam magis quam publicam salutem aliquando spectaverint. (²)

(¹) Cf. M. DE REIFFENBERG, *Mémoires sur les deux premiers siècles de l'Université de Louvain*, in *Mém. de l'Académie de Bruxelles*, T. V. TH. JUSTE, *Hist. de l'Inst. Publ. en Belgique*, pag. 68 seqq. Add. *Mémoires Historiques et Politiques des Pays-Bas Autrichiens*, Paris 1784. T. I. pag. 201.

(²) Illud monet exemplum Harlemi, ubi Academiam constituerat et Caesareo beneficio confirmandam decreverat Ecclesiae curio: quod tamen consilium parum profecit, ubi nonnulli a litteris alieni ad Curulem in urbe Sellam pervenerant. Vid. S. AMPZING, o. c. pag. 98. ibique HADRIANUS JUNIUS.

His malis ipsi cives subvenire aliter non potuerunt, quamdiu in legibus ferendis eorum Delegati nulla valuerunt auctoritate; qualis fuit Ordinum natura illis temporibus. (¹) Quodsi communes omnibus publicae tum fuissent leges, quibus civium utilitati esset provisum, politicam Institutionis conditionem illa aetate talem dicerem, qualem optimam sibi proposuit ROSSAVIUS (²) his verbis: «L'éducation publique sous des règles prescrites par le gouvernement, et sous des magistrats établis par le souverain, est une des maximes fondamentales du gouvernement populaire ou légitime.»

(¹) KLUIT, *Holl. Staatsreg.* T. IV. pass. *Prim. Lin.* cap. 14. et §. 343 seqq.

(²) *Dictionnaire Encyclopédique* in voce *Économie Politique*.

CAPUT QUARTUM.

DE PUBLICA INSTITUTIONIS CURA
INDE A PRINCIPUM BURGUNDIACAE STIRPIS IMPERIO
USQUE AD CONSTITUTAM BELGII FOEDERATI
REMPUBLICAM.

§ 1. *Quo tempore sub uno Principe nondum coaluerant
Belgii provinciae, quomodo se gesserit
Summus Imperans.*

Novam aetatem a PHILIPPO I inchoare solent plerique Rerum Belgicarum scriptores. Mutata sensim post finem imperii JACOBÆ Belgii regionum conditione , artium disciplinarumque studia novas vires ex Italia petiverunt , ubi doctissimi viri ex Imperio Byzantino exsules degebant ; (1) nova vigere coeperunt instituta judicaria et Urbium auctoritas per introducta sensim Corpora Prudentiorum ita increvit , ut jam majorem aliquam imperii partem sustinere magis magisque inceperint . (2) Quae omnia etsi magnum habuerint momentum , cum ad explicanda instituta politica ,

(1) HEEREN , *Ges. d. St. der klass. Litt.* T. II. §. 60.

(2) KLUIT , *Holl. Staatsreg.* T. IV. pag. 156—219. J. I. VAN HEES , *Disp. laud.* pag. 113.

tum ad necessitudinem confirmandam cives inter et Principem, tamen ut Institutionem legibus procuraret Summus Imperans, postulare illud nondum videbatur Civitatis commodum, sed tantum veteris divini cultus periculum potuit suadere.

Quodsi igitur sub Burgundiace stirpis Principibus fere pristina permanxit Institutionis conditio, tamen quae illis temporibus publica auctoritate aliquando decreta fuerunt, ex his colligitur, Belgii Principes in Institutione procuranda majorem jam Civitatis rationem habuisse et tamquam Imperantes magis se quam antea gerere coepisse.

Dicit itaque haec aetas Burgundiaca quasi ex antiqua Institutionis conditione patrimoniali ad novam Publicam, ut ita dicam, post enata sacra reformati studia. Quamvis Principes Scholas procurare tamquam domaniorum suorum partem etiam nunc perrexerint aliquantis per, nihilominus jam sensim intellectuisse videntur, Institutionem majori Juris Publici vinculo ad Principis curam pertinere.

Pristinae Scholas alienandi consuetudinis exempla extant hac aetate in amplissimo PHILIPPI I Comitis diplomate aⁱ 1436 de Schola Enchusana, (¹) nec non de Schola Bevervici aⁱ 1434, donante MARGARETA vidua Comitis GUILIELMI VI. (²) Haec altera donatio intelligi nequit, nisi cogitaveris, MARGARETAM quaedam loca, et in his urbem

(¹) d. d. 28 Aug. 1436. ap. VAN MIERIS, o. c. T. IV. pag. 1087. et *Handvesten van Enckhuizen*, 1667. pag. 25. Vid. App. n. N.^o 4.

(²) d. d. 8 Junij 1434. VAN MIERIS, l. l. pag. 1040. Vid. App. n. N.^o 5.

Bevericum (1) ad vitam data tenuisse jure beneficiario (verlyftogt). (2) Hae Dynastiae omnes post obitum MARGARETAE ad PHILIPPUM transierunt, ita quidem ut tunc demum Princeps privilegiorum et jurium conservandorum fidem civibus praestiterit eique cives obsequium juraverint. Est haec, ut obiter moneam, singularis Belevici conditio, unde de summi Imperii natura *patrimoniali* judicari liceat. Ubi sic in Civitate quasi parvae adessent civitates, quid mirum, si nonnulla summi Imperii jura adhuc essent incerta, saltem potestas legislatoria infirmis esset atque impedita. Quemadmodum supra vidimus ex JACOBAE pacto cum PHILIPPO, multarum Scholarum magisterio ipsos prospexitse Principes, ita quoque ex anno 1442 superest documentum, Scholae Vlardingensis magistrum Principis decreto fuisse institutum, (3) sicut ibi semper obtinuisse constat. (4)

Cum ita anticos mores sequerentur Principes et magistratus municipales in Urbibus Scholarum privilegio munitis eorum nomine Institutionem administrarent, aucta nimis, ut videbatur, civium libertas effecit, ut Principes jura sua diligentius tueri coeperint, unde Institutionis curam quoque, tamquam summi Imperii jus pluris semper aestimarent. Hinc non modo liberalitatem suam in privilegiis erogandis compescuerunt, sed etiam antiqua privilegia

(1) Cf. *Handvesten van Kennemerland*, pag. 55.

(2) WAGENAAR, *Vad. Hist.* T. III. pag. 547.

(3) d. d. 11 Nov. 1442. in *Handvesten, Octroyen etc. van Vlaardingen*, 1782. pag. 399. Vid. App. n. N.^o 6.

(4) Ibidem in *Naspeuring en Aanwijzing*, pag. xci.

violasse dicuntur; quo factum est, ut graves civium quærelæ exorirentur, quibus tandem indulgere debuit MARIA.

Ita jam proximum est, ut de *Magno MARIAE privilegio* dicatur, de quo quanto studio disceptatum fuerit praecedenti seculo, a nemine ignoratur. Ejus historiam enarrare inutile est; (¹) meminisse satis est, datum illud fuisse d. 14 m. Martii aⁱ 1476. et pluribus constare articulis, quorum 26^{us} Scholas imprimis spectat. (²) Triplex est hujus arti. finis: 1^o comprobat universum Scholarum statum, qualis

(¹) Eam scripsit J. DOORNIK, *Sp. de Magno Mariae Privilegio*, 1792. cap. I.

(²) Verba articuli haec sunt: «Item, alle die Costeryen, Clerck-ambachten, Scholasteryen, Bood-ambachten, Camerwaerders, ende alderhande kleyne Officien, hoedanig die wesen mogen inden voorsz. Landen ende Steden, van den selven wesen staen, ende blyven sullen eeuwiglyck, ter gifte ende dispositie van den genen, het sy van de Ridderschap, of Steden der voorsz. Landen, daer sy de naeste vyftig Jaren voorleden af gegeven, ende uyt krachte van der selver gifte beseten ende gebruycst syn geweest, sonder te trekken in consequentie 't gene dat by Hertoge Philips, of onse lieve Vader voorsz. by tyden van der gifte, ende dispositie der voorsz. officien geschiet mach syn, dat voor haren tydt, eer sy Heeren der voorsz. landen geworden waren, niet te wesen en placht, welcke giften contrarie deser ordonnantie by den voorsz. Philips, of Carels tyden gegeven, doot ende te niet wesen, en blyven sullen. Ende indien in toekomende tyden by inadvertentie, of anders, hoe dat het sy, eenige giften van ons of onse nakomelingen van den voorsz. Steden goederen in den lesten voorsz. puncten begrepen, of oock van den voorsz. kleyne officien, contrarie deser ordonnantie gedaen, ende gegeven worde, soo sal die selve gifte, nu als dan, ende dan als nu, niet ende van geender waerden syn ende blyven ten eeuwigen dagen.» Vid. *Groot Placaetboek*, T. II. pag. 657.

proximis quinquaginta annis in singulis Urbibus atque Dynastiis auctoritate antiquorum privilegiorum constitutus fuerat; 2º omne illud rescinditur, quod contra haec privilegia atque donationes statuerant atque donaverant PHILIPPUS et CAROLUS I Principes; 3º in futurum cavet, ne quid postea fiat contra Decreti mentem.

Nihil in eo est, quod dubio obnoxium videtur; voluit enim MARIA in integrum restituere illa Scholarum privilegia, quibus aliquando vim intulerant sui Praedecessores, (1) unde sequitur, quod eas donationes, quas supra attulimus anni 1434, 1436 et 1442, ratas habuerit omnino, utpote quae non in antiquioris juris detrimentum factae fuisse videantur.

Eousque res optime procedit, et universam Scholarum conditionem MARIAE privilegio ordinatam confirmatamque fuisse constat. Quum vero, postulante PHILIPPO II, una cum Principe suo Ordines omnia MARIAE privilegia deleta et rescissa in perpetuum voluisse dicantur, quid ea in re juris fuisse videatur, saltem quod ad Institutionem attinet, nostrum est paucis significare. Quodsi in notissimo hac de re sententiarum discrimine, jam cum Doctissimo DOORNIK (2) statuamus, universum MARIAE Privilegium rite et legitime fuisse revocatum et rescissum cum ceteris omnibus privilegiis hujus Comitissae, tunc certe quod ad Scholas attinet art. 26^{us} quoque pro non scripto habeatur necesse est, unde

(1) Has violationes locum dedisse M. Privilegio ex praefatione videre est.

(2) In Diss. laudata; Cf. KLUIT, *Holl. Staatsreg.* T. II. pag. 227 seqq.

statim conjigi posset, priores violationes hac revocatione
fuisse comprobatas et in praejudicium antiquorum privi-
legiorum factas. At vero illud profecto non potuerunt vo-
luisse reipublicae Senatores neque revera, ut arbitror,
voluerunt. Etenim in documento publico conditiones con-
tinenti, quibus PHILIPPUS civibus suis fidem juravit,
legimus, eum promisso, fore ut omnia privilegia sancte
custodiret, excepto: «dat alle andere Privilegien by hen
»verkregen zedert den overlydene van wylen myns voorscr.
»Heere Hertoge Kaeerde van Bourgondien, souden geabo-
»leert gecasseert ende van onwaerde syn.»⁽¹⁾ In his ver-
bis mentio fit de Privilegiis MARIAE tempore acquisitis; at
vero noster articulus nullum ejusmodi continet privilegium,
sed tantum antiqua restituit; atque ideo magis est debita
ob priorem juris laesionem resarcitio. Fatemur quidem
nostrum articulum quoque pertinere ad universum MARIAE
decretum; quo sensu ipse PHILIPPUS professus est: «'t voirsz.
»nyeuwe Privilegie, mitsgaders al 't inhouden van dieo
»wederroupen ende te nieuten gedaen te hebben.» —⁽²⁾
An vero haec quoque fuerit Ordinum sententia, etiamsi
ceteroquin MARIAE favores irritos esse jussent, dubitari
licet; certe, quid postea professus sit PHILIPPUS, non attinet
sed tantum quid actum sit. Quare, etiamsi rescissum habeat-
ur universum MARIAE Privilegium, alterius tamen circum-
ventio alii jus praebere non potuit; quid? quod ipse Doct.
DOORNIK, qui ceteroquin acriter urget rescissum magnum
MARIAE Privilegium, agens de privilegio quodam antiquo

(1) DOORNIK, Diss. cit. pag. 15.

(2) v. d. WALL, Handv. v. Dordrecht, pag. 746.

per MARIAE Privilegium confirmato, diserte testatur ejusmodi privilegia per rescissionem succedentem non fuisse abolita. (¹)

Contra vero si cum Doct. G. Six (²) dicatur MARIAE Privilegium legitime rescisum fuisse numquam, (et certe dubitari non potest, quin postea Privilegium juste fuerit observatum), tunc profecto de articuli nostri vi atque auctoritate minus etiam ambigi poterit.

Utcumque ea de re judicetur, ex iis, quae diximus, hoc sequitur: justam Scholarum conditionem fuisse restitutam per MARIAE Privilegium atque in ea nihil mutare potuisse subsequentem Principis revocationem. Quanta fuerit per tanta discrimina rerum antiquorum privilegiorum auctoritas, testatur lis anno 1536 agitata inter magistratus Haganos et Capitulum Hovanum de Schola municipaliter procuranda; (³) quum Capitulum jus suum persequi studuerit titulo antiqui privilegii anni 1393, de quo supra monuimus. (⁴)

Continet MARIAE Privilegium primam generalem de omnibus Scholis dispositionem a Comitibus datam, et licet legum Fundamentalium numero non facile adscribi possit, (⁵) tamen omnino legis habuisse auctoritatem, dubitari

(¹) Vid. Diss. l. pag. 127 ubi agitur de privilegio *de non evocando*.

(²) Disput. Jurid. de *Magno Mariae Privilegio*, Amst. 1779.

(³) DE RIEMER, *Beschr. van 's Gravenhage*, T. I. p. 2. pag. 590 seqq.

(⁴) Vid. cap. 3. pag. 90.

(⁵) Uti fecit Cl. C. H. TROTZ, *Comment. ad leges Fundamentales Belgii Foed.*

nequit. In ea de Scholarum regimine fuisse decretum, id dignum est imprimis quod notetur. Nam quaecunque sit de eo judicium, id certe affirmare licet, ejusmodi decreta non nisi ex supremo in Civitate Imperio posse repeti. ⁽¹⁾ Ita sensim legitimos Belgii Principes juventutis Institutio-
nem legislatoriae suae potestati subjecisse patet, cuius rei exempla mox plura provenient. Quo magis Belgii Princi-
pes, laxato vinculo, quo cum Germanico imperio erant ad-
stricti, omnia ipsi jura majestatica exercebant, eo magis
vidimus etiam, in Institutione procuranda, onine jus atque
tutelam in eos sensim fuisse translata.

Novum hujus rei exemplum exhibet historia Scholae Zwollensis, quam memoriae prodidit auctor rerum Zwol-
lensium VAN HATTUM ex genuinis, quae exstant, documen-
tis. ⁽²⁾ In epistola RODOLPHI Episcopi ad rectorem Schola-
rum anni 1450 mentio fit de rectoris successore «per sca-
»binos Swollenses in Rectorem Scholarium ibidem legitime
»constituendo» unde explorati juris est, hanc quoque
Scholam magistratui municipali subfuisse. Verum tamen
illud impedire non potuit, quominus Episcopus, tamquam
summus imperii Praeses, in dicta epistola idem fere statu-
erit, quod in Germania Imperatores sanciverunt ratione
Universitatum, ut scilicet magistris competeteret quaedam
singularis in Scholarum jurisdictio. Ita rectori Zwollensi
ejusque successori diserte committitur a RODOLPHO «ut
»dictos rebelles, aut alias qualitercunque delinquentes Cle-

(1) Cf. S. STYL, *Opkomst en bloei der Vereenigde Nederlanden.*
Ed. alt. pag. 74.

(2) Mr. B. J. VAN HATTUM, *Geschiedenissen der stad Zwolle,*
1767—1775. T. I. p. 2. pag. 401. Coll. ibid. pag. 377.

»ricos sive laicos scolares , prout secundum bonos mores
»visum fuerit expediens , corrigant aut corrigi procurent ;
»Invocato ad hoc etiam , si fuerit opus in praemissis , auxi-
»lio Scabinorum et Consulum opidi nostri Swollensis prius
»dicti : hoc proviso quod auxilium hujusmodi Scabinorum
»et Consulum in ipsos Clericos se ulterius non extendat
»quam requirat rebellio Clericorum praedictorum.» ⁽¹⁾
Gaudebat igitur Schola Zwollensis foro quodam privile-
giato ad instar Universitatum ex decreto Civitatis Rectoris.
Nam si illud conjiceres , RODOLPHUM hic egisse tamquam
Ecclesiae Praesidem , tunc procul dubio de laicis Scholaris-
bus statuens , quales recensentur , aliquam civilis imperii
auctoritatem sibi arrogasset. Magis illud conspicuum est
ex Decreto DAVIDIS Episcopi anni 1464 , quum Scholarium
libertas , impunitatis spe ad licentiam vergens , turpis-
simis in urbe turbis et libidinibus locum dedisset. Tunc
enim , ne rectori vis deesset ad rebelles corripiendos , aliquid
juris gladii in Scholarum magistratui urbis tribuit Episcopus ,
statuens , ut si qui post horam nonam vespertinam per
urbem vagarentur armati aut rixantes , possent a magis-
tratibus corripi et ad posterum mane detineri , quos tunc
oporteret eos aut rectori Scholae tradere aut puniendos
committere Episcopo in villa Vollenhoviana. ⁽²⁾ Ejusmodi
certe decreta ecclesiasticae potestatis fines egredi , ambi-
guum erit nemini. Imperantis haec sunt et fuerunt , etiam si
Scholarum cura domestica penes urbis esset magistratus ,

(1) Integrum diploma vid. ap. VAN HATTUM , l. l. pag. 402.

(2) Vide diploma 20 Nov. aⁱ 1464 belgico sermone editum apud
VAN HATTUM , o. c. T. II. p. 1. pag. 5.

sicut jam universe hac aetate obtinuisse, aut per privilegia,
aut tacita consuetudine, videtur.

§. 2. *Belgii provinciis sub uno Principe conjunctis,
leges invaluerunt.*

A. De Caroli Imp. legibus.

Hactenus in patria nostra qui summi fuerant Principes, Comites, Episcopi, Duces aliique Institutionem privata plerumque sollicitudine procuraverant et, si quid civitatibus ea in re gerenda tribuebant, id magis in singulorum locorum favorem, quam in communem Civitatis utilitatem datum fuisse videtur. Scholas magis quam Institutionem cogitabant, necdum intellexerant, Principis esse, qui de republica bene cupiat, juventutis eruditioni ubique consultum habere, quod nisi communi lege vix aliter fieri potest.

Jam vero sacra emendandi studium usquequaque exarserat, et qui in patria nostra quoque Romanae Ecclesiae dignitatem aggredierentur, perplures erant Reformatores. In tanto, quod imminebat, Ecclesiae periculo, ut antiquam patrum hereditatem vindicaret et novam hereticorum doctrinam compelleret, etiam ne quid res publica detrimenti caperet, vidi CAROLUS Imperator postulare temporum suorum discrimina. Hinc fulminis instar prodit adversus novissimae doctrinae fautores decretum Wormatiense d. d. 8 m. Maji 1521, (¹) cuius acerrimas sententias

(¹) J. DUMONT, *Corps Universel Diplomatique du Droit des Gens*, T. IV. p. 1. pag. 335.

damnatorias, quales hodierna opinionum libertas horret, dictitaverat magis fervens religionis amor, quam ingenium ad tyrannidem proclivum. Spectabat illud decretum, cum alia, tum usum librorum, quorum sententiae ne LUTHERI doctrinam pervulgarent, ante omnia studuit Imperator, preli libertate ad tristissimam redacta servitutem.

Prospere nihilominus procedebant consilia Reformatorum, quorum non modice increverat numerus. Novis itaque remediis opus erat, ne plures ab Ecclesiae Catholicae fide desciscerent. Illud imprimis effici posse videbatur, si infantium animi a tenera inde aetate veteris Ecclesiae praeceptis imbuerentur. Et ecce! jam Imperatoris decretum d. d. 15 Nov. 1531 de Institutione pauperum, ut vagabundi et mendici Scholis instituerentur, aut in opificum officinis vel mercatorum tabernis reciperentur discipuli; ita tamen, ut hi magistrum nanciserentur diebus Dominicis, ne prorsus Ecclesiae Institutione indigerent. ⁽¹⁾ Sic Institutionis cura summo Civitatis Rectori redita sub auspiciis CAROLI M. ab altero CAROLO denuo suum in Jure Publico locum recuperavit. At vero, quemadmodum Galliae Imperator ea in re Procerum adhibuit auxilium, ita quoque

(1) Vid. Dipl. ap. VAN DE WATER, *Utrechts Plakaatboek*, T. I. pag. 413. «Item dat van den Kinderen van den armen, de welcke »voor dese Politie ende Ordonnancie lecgangeren waren, levende »op rabauwerie, die eenige zullen ter schoele gestelt worden, ende »d'andere om een ambacht, of andere negociacie te leeren, of den »goeden luyden te dienen, ende die geene die ambacht leeren zullen »op sonnendaghen ende Heyligen dagen leeren heuren Pater noster, »heuren Gelove etc.... by den schoelmeester, die dairtoe geordon- »ncert zal worden etc....»

qui Germaniae fuit summus Imperans non secus Ordinum rationem habuisse videtur. Saltem quod de historia hujus Decreti enarravit WAGENARIUS, ⁽¹⁾ etiamsi inde colligi non possit Ordines de Institutione quoque, ut de quibusdam negotiis, primum sollicitasse Imperatorem, tamen ea de re in concilio suo Bruxellis habitu actum fuisse, omni caret dubitatione. Quamobrem, qualiscunque ceteroquin fuerit CAROLI mens et consilium, dignus ille est, cui eadem tribuatur laus, qua prior CAROLUS celebrari consuevit.

Quo magis vero Imperatoris consiliis adversabatur in crescens sacra reformandi studium, eo severius adversus Reformatores actum est, et, tamquam veteris cultus propugnaculo, juventutis Institutioni consultum. Quum nova in urbe Vesaliae (Wesel) exstiterat Schola, damnatas imprimis doctrinas propagans, Imp., ne quis eo mitteret juvenes, cavere mandavit Gubernatori Gelriae, edito rescripto d. d. 7 m. Martii aⁱ 1544. ⁽²⁾ In praefatione rescripti rationes exponuntur, quod nempe dicta Schola neque papalem neque imperiale auctoritatem esset consecuta. ⁽³⁾ Mirum videri possit, quodsi haec Schola ejusmodi indigeret comprobatione, quo legitime constitueretur, quidni potius eam sustulerit Imperator, quam labefactari curaverit.

(1) *Vad. Hist.* T. V. pag. 24.

(2) G. VAN LOON, *Geldersch Placaatboek*, T. I. p. 20.

(3) «Alsoe wy geloeflyck bericht syn worden, dat die van der Stadt van Wesele, in de Lande van Cleve onlanxleden soekere »ordonnantie und oprichtongh einer Scholen gemaectt hebben om »die selve aldaer op Paesschen nest voirleden te beginnen und voirts »to halden und continueren, sonder hyer op van den Paeufs oder »ons oirlof erlanght und verworven toe hebben.....»

Fortasse de Universitate cogitavit, quam tunc temporis condere absque Imperantis suffragiis non licebat, quum contra Schola Vesaliae non nisi municipalis esset, quae quominus publica auctoritate tolleretur, impedimento erat regimen municipale. Utut est, interdictum publice in Gelria editum est duobus annis post, unde conjicitur Scholam vigere perrexisse.

Tandem rem fortiter aggressus anno 1550 (d.d. 29 Aprilis) edidit CAROLUS Ordinationem, quae jam antea forma Mandatorum (Mandementen) viguerat, adversus sacrorum reformandorum antistites quasi gladio scriptam. ⁽¹⁾ Hac opportunitate et de Institutione sollicite cogitavit Imperator, ita quidem, ut statuta quaedam Ordinationi inseruerit, quae tamquam prima Scholarum administrandorum placita universalia in patria nostra haberi possunt.

Triplex est ea de re decreti dispositio; 1º de magistris:
»voorts, om te versiene, dat voort-aen die jonge kinderen in heure eerste jonckheyt niet qualicken en worden
»geleert ende geinstrueert, t' welck een seer periculeuse
»saecke is. Soo ordonneren wy, dat voort-aen niemant
»van wat state oft konditie hy sy, en sal mogen openbare
»Schoole houden, om de jonghe Kinderen, Knechtgens
»of Meyskens, te leeren lesen, schrijven, spreken, in
»wat Tale dat sy, ten sy dat hy eerst ende al vooren
»geadmitteert ende geaprobeert sy, by den principalen
»Officier vander plecken, ende vanden Prochiaen van-
»der Prochie Kercke, onder welcke hy sal willen reside-
»ren oft vanden Capittelen of Scholastren die daer op

⁽¹⁾ J. GYSIUS, *Oorspronck ende Voortgang der Neder-landscher Beroerten*, Delf. 1626, pag. 3 seqq.

»vanouds aenschouw ende superintendentie gehad hebben : Op de peyne etc.»⁽¹⁾

Hujus dispositionis principium parum differt ab eo, quod etiam hodie nostris legibus viget de magistrorum instituendorum examine.⁽²⁾ Uterque legislator, etsi varia opportunitate ductus, tamen aequo intellexit, interesse Civitatis, ne juventus institueretur in ipsius reipublicae detrimentum, idque, habita magistrorum publica inquisitione, se curare posse vidit.

In prima, quam exhibuimus, legis parte illi, quibus magistrorum inquisitio mandatur, habentur 1^o loci magistratus, nimirum illi, qui in urbe rebus publicis praesunt et etiam Scholarum magisterium curant, et 2^o sacrorum ministri et Parochani ecclesiarum, vel etiam alii clerici ad quos haec res pertinuit antiquitus. Jam igitur et civilis et ecclesiasticae auctoritatis rationem habuit Imperator voluitque, ut una simul de magistris judicarent. Quod autem civilis magistratus ratio habita fuerit et quidem praecipua: ex sequentis articuli verbis; «ofte andere hebbende authoriteit van School-meesters te committeeren», conjici licet, eo ductum fuisse leglatorem, forte invitum, quum eos praetermittere non posset, qui imprimis ex munere suo municipali procurabant Scholas.⁽³⁾ Igitur et Dynastae,

(1) GYSIUS, o. c. pag. 14.

(2) Art. 17. leg. 3 Ap. 1806. coll. Art. 2. lec. 20 Mart. 1814. Staatsbl. N.^o 39.

(3) Urbium magistratum cura hac in re optime cognoseitur ex Programmate Magistratus Hardewicensis aⁱ 1540, quod nuper editum V. Cl. H. BOUMAN, *Geschiedenis van de voormalige Geldersche Hoogeschool*, Utr. 1847. T. II. p. 640. Illud vid. in App. n. N.^o 7.

qui habebant jus Scholarum, hoc et sequenti articulo comprehenduntur.

His statim adjicitur in art. 2. «Wel-verstaende, dat de voor-seyde Officiers, Prochianen, Scholastren, ofte andere authoriteyt ende macht hebbende van Schoolmeesters te committeren, sullen goede toesicht nemen, daer toe te committeren Persoonen van goeden name ende fame, ende geensins ghesuspecteer(t) van quade leeringe: op de peyne etc.»⁽¹⁾ Spectant haec unice illos, quibus est magistros cooptandi facultas; igitur jam tunc temporis et privilegia et jus Scholarum Dominicum impedire non potuerunt, quominus Civitatis Rector de his juribus ad communem utilitatem statuerit, addita quoque sanctione poenali.

Denique in art. 3, mutatis hac in re mandatorum statutis,⁽²⁾ de usu librorum cautum fuit: «Dat de gene die alsoo geadmitteert ende geapprobeert sullen zyn Schoole te houden, gene andere Boucken en sullen mogen voorlesen, noch leeren inde perticuliere Scholen, dan de gene die beteekent ende gesingeert zyn, by advise ende Declaratie van dien van onser Vniversiteyt van Leuven,

(1) GYSIUS, o. c. pag. 14 et 15.

(2) In mandato edito aº 1546 Lovaniae, apud SERVAES VAN SASSEN legimus: «Dat die ghene die alsoe zullen geadmitteert ende geapprobeert wesen schole te houdene, Nadien zy den kinderē hun Alphabet, Pater noster, Ave Maria, ende hun geloeue, Confiteor ende seuen salmē geleert sullē hebbē nyet en sullē in die particuliere scholē moegē lesen oft leeren andere bouckē dā die hier na volgen etc.» Cf. BUDDINGH, *Archief voor Gesch. van Opy. en Ond.* part. 3. pag. 76.

»gedateert als boven.» ⁽¹⁾ Si haec comparentur cum iis, quae prius hac de re fuerunt sancita, non potest non animadverti, quantopere differat utriusque articuli mens; prior enim totus spirat animum ecclesiasticum, cum alter mitior quodammodo sit et majori prudentia de re statuat ad peritorum arbitrium relinquenda. In promtu causa est! nam quod prius sua sponte decreverat Princeps, id, priusquam publice editum fuit postea, in regio concilio fuit pertractatum, multoque mitigatum. ⁽²⁾ Sic jam, ubi nondum in legibus ferendis decisoria erant populi delegatorum suffragia, tamen qui, populi habita ratione, Principi assiderent Conciliarii, illi magnam jam et salutarem tunc habuerunt in potestatem legislatoriam auctoritatem. Imo CAROLI successor in edito a° 1569 diplomate, ⁽³⁾ ipse testatur Principis decreta de *religione*, (quae et de Institutione agunt), lata fuisse: «by aduyse nyet alleenlicken van allen zynen Raiden maer oick van den Staten van den zelven Landen van herwaerdsouere.» Igitur, quantum potuit, populi rationem duxit Imperans in emendanda Institutione, et multa hac de re placita ex suasoria Procerum Imperii voluntate emanasse videntur.

Negandum non est, etiam nunc decreta nimis religionem spectasse; sed perperam quae antiquitus gesserunt Imperantes, cum hodiernis comparantur et quasi novo pondere

(1) Gysius, l. l.

(2) Verba quae ordinationi subscripta sunt: «by den Keyser in synen Raede» in priori mandato desiderantur.

(3) De hoc diplomate uberioris dicemus infra. Illud vide apud J. J. TH. DUVAL, *Sp. de Vera mente Foederis Trajectini*, L. B. 1789. App. pag. v. et in nostra App. N.^o 8.

aestimantur. Ceterum hujus loci non est CAROLI merita percensere; (¹) tantum de Publica Institutione videndum est, quomodo ad hodiernam venerit conditionem, atque illud quaerentibus cum auctore rerum Frisicarum (²) respondendum esse arbitror, eo duxisse ante omnia CAROLI Decreta imprimis hoc, quod exhibuimus. Ab ejus inde aetate summus Imperans in patria nostra legibus denuo juventutis Institutionis curam gessit, cuius locum tamdiu occupaverat rerum aestimabilium sollicitudo.

Praeter ea, quae universam spectabant in omnibus Provinciis Institutionem, existimare licet, quamquam non sine dubitatione, singulas provincias hac de re suas habuisse leges ab Imperante datas. De Frisia saltem ex antiquitatibus ecclesiae Ultrajectinae superest plenissima de Institutione Ordinatio, quam sua auctoritate munivisse Imperatorem, testatur auctor, cui debemus illud diploma. (³) Cognitum est, quam effraenata fuerit praesertim in Frisia nonnullorum Clericorum licentia; ad hanc coercendam et universam in hac regione pacem componendam multa, cum Ecclesiam spectantia, tum ad magistratum civilem pertinentia variis decretis sancivit Princeps, in quibus etiam de Scholarum regimine placita primum locum obtinent. (⁴) Longum foret omnia enumerare; quare hic pauca sufficient. Postquam de bibliopola Leovardiae con-

(¹) Ea celebravit, FOEKES SJOERDS, *Alg. Beschrijvinge van Friesland*, 1768. T. II. p. 2. pag. 508 seqq.

(²) FOEKES SJOERDS, o. e. pag. 511.

(³) H. v. R.... *Oudheden en Gestichten van Friesland*, Utr. 1744. T. I. pag. 156.

(⁴) Ibidem pag. 167 seqq.

stituendo egit legislator, ita pergit : « Ter plaatzen ,
»daar geen byzonder Schoolmeester is , moet de koster
»der kerke de meysjes in het leezen en de jongens daaren-
»boven in het schryven en in den zang onderwyzen. En
»op de dorpen , alwaar geen Koster is , daar moet de
»Pastoor zelf dit waar neemen ; of door iemand anders
»laaten doen. » Jam tunc igitur non nisi omnibus deficien-
tibus , minister sacrorum Institutioni praeerat ; imo ,
quae alibi leguntur : (1) «zoo iemand een kerkelyke schuld ,
»of een schuld die den schoolmeester toekomt , zal weige-
»ren te betaalen : » haec certe jam Scholarum regimen ab
ecclesiarum diversum significant. Majoris etiam momenti
sunt , quae porro decreta fuerunt. « Dat er voor ieder
»Schoolmeester een salaris op de kosten van het gemeen
»vastgestelt werde , waar door hy verbonden zy om ook
»de kinderen der genen , die het meesterloon niet kunnen
»betaalen , naarstig te onderwyzen. » — « Dat 'er in alle
»steden van Vriesland een voornaam school zy ; tot het-
»welk geene anderen moeten toegelaaten worden , als die
»in de laager scholen zoo verre al gekomen zyn , dat ze
»vaardig in de moederlyke ende Latynsche taale kunnen
»leezen . »

Eece ! jam omnium Scholarum in majores et minores
(sive superiores et inferiores) distributio ; de Scholis ubi-
que per Frisiām constituendis praeclara legis dispositio ;
quin etiam , quae uberius ibi occurunt , de mutua quae
dicitur , Institutione , de auctoribus Latinis Graecisque in
Scholis adhibendis , de examine magistrorum , de curatori-

(1) Ibidem pag. 183.

bus aliisque, ea omnia prudenti ita consilio decrevit Imperator, ut merito habeatur qui primus in Frisiam Musarum choros introduxisse dicatur. ⁽¹⁾ Post ea, quae ad haec decreta annotavit, tum FOEKE SJOERDS, cum auctor antiquitatum Frisiae VAN RIJN, extra controversiam esse videtur, haec singula revera CAROLUM habuisse auctorem; quam sententiam confirmant quoque ea, quae statuta sunt de magistris a magistratibus et clericis examinandis, quae nempe prorsus eadem sunt, ac supra sancivisse CAROLUM diximus.

Ad CAROLUM igitur referri possunt, quibus LYCURGUS a PLUTARCHO celebratur, ⁽²⁾ laudes, eum legislatoris officia optime tenuisse. Quo magis dolendum est, eum successorem habuisse PHILIPPUM, plerisque Parentis virtutibus carentem, ejus vestigia tamen prementem in omnibus, quae de liberis hominum opinionibus nimis dura ac severa jussaserat Imperator.

B. De Philippi Hispanici legibus et de Concilii Tridentini Decretis.

PHILIPPI, qui inter Belgii Principes Tertius hujus nominis fuit, consilia ad sacrorum reformatorum studia coercenda latent neminem. Majori quam antea severitate et crudelitate, qui decretis exsequendis praeverant Magistratus, officio suo fungebantur; ipsa decreta quoque identidem publicabantur, ne quis ea ignorare praesumeret; imprimis

⁽¹⁾ FOEKE SJOERDS, o. c. pag. 511.

⁽²⁾ Vid. in Compar. Lycurgi cum Numa cap. 4. pag. 127. T. I. Edit. SCHAEFERI.

CAROLI ordinatio Augustana aⁱ 1550. (1) Quae omnia etsi Ecclesiae Romanae commoda spectaverint, numquam ejusmodi fuerunt, ut PHILIPPEUS jus suum in Institutionem Ecclesiae mandasse aut tradidisse dici posset. Ita prodiit d. 29 m. Martii 1563 (2) Edictum ad Gubernatorem et Proceres Hollandiae cum aliis de Institutione haec statuens:
«Ende want voor al van nooden is te voorsien, dat de Kinderen wel gheinstiveert ende geleert worden inde vreese Gods. Wy bevelen dat terstont ende sonder vertreck goede Schoolen op-gestelt sullen worden, — — »soo t' by den Aertz-Bisschop van Vtrecht ende den Bisschop van Haerlem, *midsgaders by u* geadviseert sal worden, die hier op met de voorschreven Prelaten, ende daer t' behooren sal, sult communiceren.» (3) Longe abest, ut ita ad Clericos transferretur Scholarum tutela, quum contra Edicti verba ad reipublicae Gubernatores scripta sint et tantum Episcopis tribuant suasoriam aliquam auctoritatem. Plenius, qualis fuerit in Institutione procuranda PHILIPPI mens, ex iis, quae ad Concilium Tridentinum pertinent, cognosci poterunt.

MARGARETA Gubernatrice totius Belgii constituta, regium publicatum est mandatum ad Episcopos d. 11

(1) E. e. d. 20 Aug. 1556. 10 Maji 1569, 30 Julii 1574. Vid. VAN LOON, *Geld. Placaatb.* T. I. pag. 207. 413. 655.

(2) Illud fuisse aⁱ 1569 erronea est sententia ap. BUDDINGH, o. c. T. II. p. 1. pag. 189.

(3) Exhibet diploma GYSIUS, o. c. pag. 67, ubi et haec leguntur:
«Ordonneren insgelycx, dat de Ouders hare Kinderen, zynde van bequamen ouderdom, schuldigh sullen wesen, ter Schoole ende ter Kercken te schicken....»

Julii 1565 (1) de Concilii Tridentini Decretis ubique recipiendis. In Cap. I Sessionis V sanciverat Concilium : «In »Gymnasiis etiam publicis, ubi tam honorifica et ceterorum »omnium maxime necessaria lectio hactenus instituta non »fuerit, religiosissimorum principum ac rerumpublicarum »pietate et caritate ad Catholicae fidei defensionem et »incrementum, sanaeque doctrinae conservationem et pro- »pagationem instituatur, et, ubi instituta foret et negli- »geretur, restituatur. Et, ne sub specie pietatis impietas »disseminetur, statuit eadem Sancta Synodus, neminem »ad hujusmodi lectionis officium tam publice quam priva- »tim admittendum esse, qui prius ab Episcopo loci de vita, »moribus et scientia examinatus et approbatus non »fuerit. . . . » (2) Istiusmodi statuta, a prioribus regiis quodammodo diversa, vulgarem Scholas procurandi rationem commutare potuissent, nisi in ipsis mandatis clau- sula quaedam fuisse addita restrictiva nomine Regis, ne quid per Concilii Decreta invaleret adversus jura summi Imperantibus; quod omne, qualicunque titulo Concilii Decretis irrepsisset, nihili foret atque irritum. (3) Rem Institutionis

(2) Cf. WAGENAAR, *Vad. Hist.* VI, pag. 113. VAN LOON, o. c. T. I, pag. 314.

(1) J. H. BOEHMER in *Corpoere Juris Canonici*, edid. A. L. RICHTER, *Canones et Decreta Concilii Tridentini*, Lips. 1837. pag. 7.

(3) «Ende want onder die articulen van 't voersz. Heyligh Concilium eenige syn die den regalien regten hoogheyt ende preēminencie »van synder voersz. Majesteyt ende van synen vasallen staten ende »ondersaten aengaen . . . Synre Coninekt. Majesteyts wille ende »meynonge is, dat men deshalven vuegen ende reguleren sal gelyck »tot nog toe gedaen is geweest, sonder yet daer inne te veranderen »of innoveren soe voerschreven is . . . alle welficken regten ende

nac clausula quoque contineri, atque igitur Concilii Decreta de Institutione Laicorum nullius fuisse in patria nostra auctoritatis, multis probari poterit argumentis.

Et quidem primo ea, quae WAGENARIUS memoriae prodidit, in concilio regio fuisse acta ante promulgata Concilii Decreta, optime docent, qualis fuerit PHILIPPI de Institutione Publica sententia. Dux Nobilissimus AB EG-MOND, legatus ad Regem missus, ex Hispania redierat et in Concilio Status (Raad van State) Regis sententias expōnens, cum aliis multis professus erat, utile visum fuisse PHILIPPO, si clam et praetextu de Concilio Tridentino deliberandi, nonnulli ex Episcopis adjungerenter Concilio Status, qui una cum reliquis de Institutione populi procuranda consulerent. (1) Quodsi existimaverat PHILIPPUS, rem Episcopis esse mandandam, is, qui mox Concilii Tridentini Decreta erat promulgaturus, ejusmodi fraude non opus habuisset. Quum vero deinde nonnulli essent convocati ex Regia voluntate in Concilium Status, plerique ex Episcopis, omnes autem ex fervidissimis Ecclesiae fautoribus, illi, re triduo explorata, tandem renunciarunt, de Scholis ordinandis non opus fore quidquam statuere, quum Decreta Conc. Tridentini mox in patria promulganda hanc rem plenius procurassent, ita ut tantum his Decretis obsequi oporteter. (2) Hoc responsum a PHILIPPI mente longe distare, nemo est quin videat. Rege de Scholarum cura cum

»andere diergelycke die u naemaels soe verre des nootsy breeder ver-
»klaert sullen worden, syne voerschreven Majesteyt niet en verstaet
»by 't voorschreven Concilium gederogueert te worden . . . etc.»

(1) Totam rem vide ap. WAGENAAR, o. c. T. VI. pag. 107 seqq.

(2) Ibidem pag. 111.

Ecclesia communicanda cogitante, ipsi Clerici statim omnem Institutionem Juri Canonico submittere conantur. Ex hoc Clericorum studio publicam Institutionem sibi vindicandi multa explicari possunt, quae postea Episcopi, sine ulla auctoritate civili, suo Marte decreverunt.

At vero, ut in viam redeamus, brevi postquam ea in concilio regio fuerant agitata, Concilii Tridentini Decreta publici juris facta sunt in patria nostra, cum ea tamen clausula, quam supra exhibuimus. Est haec clausula universalis et Concilii Decreta ultra res mere Ecclesiasticas extendi non patitur in detrimentum jurium regalium. Ad haec jura Institutionis curam quoque pertinere, facto professus est PHILIPPUS, etiamsi aliam prorsus habuerit Clericorum in concilio suo sententiam; id quod paucis significari adinet.

Atqui quanta fuerint Ecclesiae conamina ut juvenitatis curam Civitatis Rectori subtraherent, exemplo suo ostendit Episcopus Bruggensis PETRUS CURTIUS. Hic anno 1566 (itaque jam brevi post Conc. Trid.) ad magistratus municipales articulos quosdam scriptos miserat, quibus renuntiabat, sibi placuisse in omnes ludimagistros inquirere, quos propterea omnes convocabat, et nisi his jussis obtemperassent, omnibus interdicebat Scholis regundis praeesse. Jam auctor, (¹) cuius fidem sequimur, addit, ea egiisse Episcopum ex mandato regio, vel potius *illud prae se tulisse*, unde jam conspicuum est, Clericos non nisi artificio quodam Regis sententia sibi contraria abuti studuisse. Quid? quod idem auctor memorat, (²) magistratus

(¹) J. GESIUS, o. c. pag. 104.

(²) I. I. pag. 106.

controversias habuisse de jure Episcopi , usque adeo ut ejus decreta parum curaverint.

Sed majora jam documenta ab ipso Imperante peti possunt. Biennio post introducta Concilii Tridentini Decreta MARGARETA Gubernatrix statuit : « Dat geen School-meesteren der Jonckheyt noch int openbaar , noch int heymelic , en sullen mogen leeren , nochte schoole houden , » ten sy datse eerst ende al vooren by den Scholaster ende » twee van der Weth van haer gelove ondervraegt ende » geexamineert sullen wesen , ende eerst met Eede solemnelijck beloofst sullen hebben anders geen boecken noch » leeringe te leeren , dan de Catholycke kercke voor goet » geoordeelt heeft. Die gegenwoordigh school houden , » sullen hen binnen thien dagen nade publicatie hier naer » moeten reguleren ; » (¹) Hoc placitum Con. Tridentini Decreto plane adversatur , contra vero parum differt ab iis , quibus Institutioni consultum voluit CAROLUS Imp. Quodsi cogitaveris , MARGARETAM omnia fecisse ad nutum PHILIPPI , inde qualis fuerit Regis sententia liquide constat.

Nullum tamen majus documentum afferri potest , quam regia Instructio altera , ad Gubernatorem Hollandiae GUILLEMUM Principem Arausiacum , quam primo typis exprimi curavit Doct. DUVAL. (²) In hoc mandato notabili , quod

(¹) J. GYSIUS , o. c. pag. 270.

(²) In Specimine Juris P. de *Vera mente foederis Trajectini* etc. KLUITII auspiciis edito ibique App. pag. III. Illud quoque exhibet A. GORDON , Diss. de *Potestate Guilielmi I Hollandiae sub Philippo II Gubernatore , cum ordinaria , tum extraordinaria* , L. B. 1835. Cf. App. n. N.º 8.

etiam in nostro argumento magni momenti est, (¹) sequentia haec GUILIELMO praescribuntur. «En de want van »noode is goet toesicht te nemen in de steden ende plaat- »sen daermen scholen houdt daervan tgouvernement en »administratie toebehoert den gouuerneurs ende wethou- »ders der voorsz. steden en plaetsen, zult ghy den wet- »houders last hebbende van de de voorz. Scholen van »onsentwegen ordonneren de voorz. scholen dickmael te »visiteren en eerstich toesicht te nemen, etc.» (²) Haec quantum abest, ut indicent consilium Institutionem placi- citis Tridentinis totiusque Ecclesiae submittendi !

His omnibus addi possunt ea, quae in mandato FERDI-
NANDI DE TOLEDO DUCIS ALBANI ad Episcopum Leovardiae
CUNERUM PETRUM leguntur apud WINSEMIUM. (³) In hoc
diplomate, quod administrandae sedis Episcopalis rati-
onem continet, praescribitur: «Locis vacantibus pios
»eruditosque pastores aedituosque dabit, scholarumque
»non tantum Leovardiae, sed per omnem Frisiam curam
»geret, ac quid doceatur, expendet. — De consilio Pasto-
»rum, Magistratus oppidani seminarium e praescripto
»Concilii Tridentini constituet. — Concilii Tridentini
»decreta promulgabit, si non omnia, saltem ea quae
»Doctrinam spectabunt, et ad captum populi erunt.» — (⁴)
Aut fallor aut his placitis ostenditur, Episcopi in Institu-

(¹) Ignorasse illud videtur BUDDINCH, o. c.

(²) In Sp. l. App. pag. vir.

(³) PIERII WINSEMI *Historiarum sive Rerum sub Philippo II per Frisiam gestarum Libri VII.* Leov. 1446. pag. 121 seqq.

(⁴) De his statuit Concilium in cap. 18. Session. XXIII. ap. BOEHMERUM, l. l. pag. 68.

tionem auctoritatem ex peculiari regio mandato manasse et Concilii Tridentini vim nullam fuisse, nisi in studiis Theologicis. Quae enim hic de Seminario constituendo leguntur, ea non nisi Clericorum studia spectare, ipsa docet Concilii sententia: «ut hoc collegium *Dei Ministrorum* »perpetuum Seminarium sit.» — (1) Nihil igitur ad jus attinet, num Episcopus hac potestate usus sit ad Ecclesiae gratiam captandam, et rem Institutionis in Synodus, ex decreto Tridentino habendam (2) deduxerit, ita ut in hacce Synodo de Scholarum regimine tulerint Clerici. (3) Dicendus est semper ex regio mandato egisse Ecclesiae Praelatus, quemadmodum in Frisia istiusmodi hierarchiae vestigia ubique reperiuntur.

(1) Ibidem §. 208, m.

(2) Vid. C. 2 Dec. *de Reformatione*, Sess. XXIV. BOEHMER, o. c. pag. 75.

(3) Synodi, Leovardiae habitac, decreta exhibet H. v. R.... Oudh. en Gest. v. Vriesland, T. I. pag. 315—348 ibique pag. 345 de Scholis hacc leguntur: «Wy beveelen en gebieden aan de Pastooren der plaatzen en aan de Oversten en Kerkmeesteren, dat ze ten hoogste bezorgt zullen zyn, om een schole en een degelyken Schoolmeester in hunne plaatze te hebben; dewelke belydenis van zyn geloof in de kamer des Bisschops gedaan hebbe; en de jonkheit in de vreeze des Heere en in de beginzelen des Katolyken geloofs onderwyze. En opdat dit des te vaardiger in 't werk gestelt en te bestendiger onderhouden werde; zoo beveelen wy dat ieder bezitter van vaste goederen een goudgulden van 20 stuivers in ieder dorp tot zoo een godvruchtig en noordzakelyk werk zal opbrengen: en dat zoo wel de verkiezing van gemelden Schoolmeester, behoudens nochtans het onderzoek en de toelaatinge van den Bisschop, als de aafzetting, zal staan aan den Pastoor, den Oversten der plaatze, de Edelluiden, en de Kerkmeesters.» (Art. 17.)

Quae quum ita sint, Ecclesia tantum studuisse dicenda est, ut juventutis Institutionem omnem juri Canonico submitteret, PHILIPPUS contra, quantumvis licet adularetur Ecclesiae, Institutionis curam neque cedere potuisse (¹) neque voluisse.

Ceterum, priusquam haec Clericorum studiis turbata tempora mittantur, restant quaedam commemoranda PHILIPPI Decreta, imprimis illud aⁱ 1569, utpote quod opportunum dare possit locum de Provinciarum Ordinibus pauca disserendi. Decreverat nimirum Rex, (²) ne quis extra Belgii fines studiorum causa abesset et exterorum Universitates aut Scholas frequentaret, una excepta Universitate Romana. Hoc decretum, quod sequenti anno publicandum mandasse videtur Dux Albaeus, (³) non potuit non justas excitare multorum civium querimonias, qui consueverant juvenes ad exteriores mittere mercaturam addiscendi gratia. Ita, re in Ordinum concilium deducta, nonnullae Provinciae expostularunt cum Gubernatore de detrimentis et incommodis hujus Decreti tollendis; quae tamen omnia sperato caruerunt eventu, ita ut promulgaretur ubique. Nihilominus Transisalani Nobiles et tres Urbes, Provinciae Statum constituentes, nondum desperantes, querelas suas renovare decreverunt, et per Comitem MEGANUM epistolas miserunt ad Gubernatorem, quae, nobis integrae servatae,

(¹) Imperantem jus suum in Institutionem non cedere posse tuitus est. V. Coss. J. DE BOSCH KEMPER, in thesi 12 ad dissert. *De Indole Juris Cr. ap. Romanos*, L. B. 1830.

(²) D. d. 4 Martii 1569. ap. v. LOON, *Geld. Placaatb.* T. I. pag 406.

(³) Cf. VAN HATTUM, *Gesch. van Zwolle*, T. III. p. I. pag. 79.

multa continent ad Publicae Institutionis conditionem illustrandam. (¹)

Longe vero abest, ut Ordinum auctoritas tanta fuerit, ut juste *veto* suum Regis decreto interponere potuerint; in republica administranda eorum potestatem etiam hac aetate suasoriam magis fuisse quam decisoriam, docent Juris Publici auctores. (²) Hinc neque PHILIPPI decretum aⁱ 1569 suis suffragis antiquare potuerunt Proceres, neque impeditre, quominus illud renovaret Imperans a^o 1571. (³) Hac reipublicae administranda ratione non mutata, potuit PHILIPPUS arbitrio suo antiqua renovare placita et paterna quoque decreta tueri; quod quantopere perficere studuerit, et, invitis populi querelis, veteres leges tueri voluerit, manifestum est ex Ordinatione d. 19 m. Maji 1570 (⁴) ubi, per interpositum jus jurandum coram examinatoribus, cavetur ne quis magister novam doctrinam pervulgareret (art. 33), (⁵) id quod pie colendum esse statuitur

(¹) Rem narrat VAN HATTUM, l. l. ubi etiam Diploma exhibetur, quod typis quoque exprimi curavit BUDDINGH in *Archief voor Opgen Ond.*, Mengelw. pag. 89.

(²) Cf. KLUIT, *Holl. Staatsreg.* T. IV. cap. 4.

(³) VAN LOON, o. c. T. I. pag. 543 seqq.

(⁴) Idem T. I. pag. 454. GYSIUS, o. c. pag. 438 seqq.

(⁵) «Ende in den eersten, dat degenen die uyt kragte van de ordinantie voorschreven, gecommitteert ende gestelt sullen wesen totter approbatie ende admissie van de meesters oft meesteressen van scholen, sullen van deselve solempne eedt nemen, dat sy gheen gereprobeerde oft suspecte boecken noch andersints schandaleux wensende sullen leeren oft voorlezen.» — Reliqua vide ap. v. LOON, o. c. T. I. pag. 454. J. GYSIUS, l. l. pag. 439.

«boven 't gene des by de voirseyde ordinacie (aⁱ 1550)
»van der religie deshalven gestatueert ende geordineert is.»

§ 3. *Post rerum Conversionem anni 1572, quid actum
fuerit cum a Gubernatore et Ordinibus Provin-
ciarum, tum in Synodis.*

Agglomeratis undique nutrimentis discordiarum , quum tandem igniculus accederet, ubique flammae Belgicae Civitatis parietes corripuerunt, usque dum Hispanici imperii fasces submitterentur et Belgii foederati Respublica victrix succederet. Hinc illustres cum in Historia tum in Jure Publico Belgii anni 1572 et 1581 ; hinc quoque quod his interjacet temporis spatium , multis agitatum turbis , nisi varia et saepe mutata Summi Imperii conditio teneatur, vix intelligi posse videtur.

Hollandiae Ordines , qui sub Principibus Burgundiacis et Austriacis magis magisque populi exstiterant Representantes , etiamsi eorum auctoritas maneret suasoria , quum anno 1572 a Gubernatore MAXIMILIANO DE BOSSU essent convocati , potius suo Marte convenire et rem suam pristino Gubernatori GUILIELMO I Principi Arausiaco committere decreverant. Ita majori eorum parte congregata GUILIELMUS I legitimus restitutus est Gubernator ex auctoritate pristinarum Regis Hispaniae Instructionum , salvo Regi praestando obsequio. (¹) Manebat igitur summum Imperium penes Hispaniae regem , ejusque vicibus in

(¹) KLUIT, *Holl. Staatsreg.* T. I. cap. 4 en 5 passim ; T. IV. cap. 5.

patria nostra fungebatur Gubernator secundum Regis mandatum. Ad Ordines Delegatos quod attinet, eorum auctoritas creverat imprimis per fidem a Gubernatore praestitam, se in republica administranda Ordinum consilium esse adhibitum; ⁽¹⁾ unde, quum GUILIELMUS Ordinum auxilio saepe indigeret eorumque benevolentiam captare deberet, haec auctoritas in rebus publicis suasoria majores sensim vires acquisivit. Quodsi tamen ex his paucis, quae de summo Belgii imperio hac aetate dicenda erant, in legislatoriam potestaten inquiratur qualis tunc fuerit, merito ea dicitur penes GUILIELMUM fuisse Gubernatorem, Regis nomine, suadentibus tantum Ordinibus Delegatis. ⁽²⁾ Quae omnia quantopere mutata fuerint post ejuratum Hispaniae Regem et sumnum Imperium ab Ordinibus Duci ANDEGAVENSI (ANJOU) et GUILIELMO Principi oblatum, quisque habet perspectum. Ab eo inde tempore populi partes in summo Imperio tueri poterunt Ordines Delegati, quandoquidem in legibus ferendis eorum consensu plerumque indigebat Princeps. ⁽³⁾

His praemissis, quae salva ex horum temporum infelicitate ad nos pervenerunt historiae Documenta, ultiro jam explicari possunt. Verosimile est, omne Scholarum dominium, quocumque sive per Capitula sive alio modo habuerint Clericí, id sensim amisisse Ecclesiam, postulantibus urbium magistratibus, (ut exemplum Capituli Hagani docet), vel ipsis Scholis discipulorum penuria languentibus.

(¹) KLUIT, o. c. T. I. pag. 70.

(²) S. VAN SLINGELANDT, *Staatkundige Geschriften*, 1784.
T. I. pag. 91.

(³) KLUIT, o. c. T. I. c. 11; imprimis pag. 348.

De summi Imperii juribus in Juventutem instituendam, pauciores erant quotidie qui disceptabant, postquam Romani cleri vindiciae per increcentem sacrorum eman-datorum auctoritatem obmutuerant. Ita quod MAXIMILIA-NUS II Imp. praeclare tunc profitebatur «bonarum lite-rarum tutelam et patrocinium ad Caesarei culminis fasti-gium, ejusque moderatores potissimum pertinere»⁽¹⁾ hoc Juris Publici praeceptum nostrates jam non amplius latebat.

Regia mandata, quibus instructus Imperii fasces receperat GUILIELMUS Gubernator, de Institutione tuenda quoque egisse, supra jam ostendimus. Quum igitur Hollandiae Ordines aº 1572 suum, qui exsul erat, legitimum restituerent Gubernatorem GUILIELMUM Arausiacum, et quidquid ille ex pristinis Regis mandatis egisset, id se ratum habituros decrevissent; quod antea GUILIELMO mandatum erat de Scholarum cura per Instructionem alteram, ⁽²⁾ id nunc quoque ab Ordinibus renovatum fuisse constat. In his, ut jam diximus, ad Gubernatorem rescriptum fuit, ut diligenter curaret, ne magistratus in Scholis inspiciundis essent laxiores, quam Ecclesiae periculum postulabat. Nec tam Gubernatoris auctoritas his tantum Instructionis verbis comprehenditur; habuit enim universam religionis curam sibi commissam per eandem Instructionem; quin et in priori majori, ⁽³⁾ omnis PHILIPPI auctoritas plenius Gui-

(1) In dipl. de condenda Universitate Julia aº 1575 ap. H. CON-RINCUM, *De Antiquit. Acad.* pag. 384.

(2) Vid. DUVAL, o. l. App. pag. vii. GORDON, o. c. et in nostro App. N.º 8.

(3) Eam edidit, praeter auctores modo laud. nuperime GACHARD, *Correspondance de Guillaume le Taciturne*, Brux. 1847. T.I. pag. 487.

LIELMO mandata legitur: quamobrem, etsi de Institutionis cura pauca tantum leguntur in GUILIELMI mandatis, eam tamen ex natura muneric sui omnem gessit Gubernator nomine Regis. Illud haud scio an ex quaquam re magis sit conspicuum, quam ex condita a° 1575 Universitate Lugduno-Batava, de qua — uti in diplomate habetur —, statuisse dicitur « Philips Koning van Spaenje, Grave van Holland en » Zeeland — by advis van onzen neve Willem Prinse van » Orange — Stadhouder en Capitein Generaal voor ons, — » met die van den Rade Provinciaal van Holland en van de » gemeene Staten van Holland en Zeeland — autoriserende » alzulks — den Stadhouder — ordinantien en Statuten te » maken by advys van de Staten. » — (¹) Etenim quis est, qui non videat, Hispaniae Regem numquam condere voluisse Universitatem, praemio datam civibus ob perduratum Hispanorum obsidionem, et quasi Catholicae Universitatis Lovaniensis adversariam; quare de conditore Universitatis hodie non ambigitur et quid PHILIPPI nomen in Diplomate (²) valeat, ulterius non opus est significare. Exstat etiam GUILIELMI dispositio, ad supplices urbis Alcmariae epistolas respondentis, de bonis quibusdam Ecclesiasticis in Scholae municipalis favorem alienandis: « ghehadt't advys

(¹) *Groot Placaetboek*, T. III. pag. 538. P. BOR, *Nederlandsche Oorlogen en Beroertens*, T. VIII. pag. 85. S.H. VAN IDSINGA, o. I. T. I. pag. 393.

(²) Cf. A. VAN 'S GRAVENSANDE, *De Unie van Utrecht herdacht*, Middelb. 1779. pag. 135. « Het oprichten van eene Hooge School » was eene daad van Oppermagt; Dit te onderneemen met 's Konings » kennis was ondoenlyk, en, buiten zyne kennis gedaan wordende, » moest zulks zyne gramschap te meer ontsteken. »

»van de Gouverneur, Gedeputeerden ende Burgemeesteren van de steden van Noordt-Hollandt by advyze van den Rade ende Finantien nevens hem wezende.»⁽¹⁾

Ex quibus omnibus ulro intelligitur, in Institutione publice procuranda quid Gubernatori esset mandatum quidve Ordinibus relictum. Hi tantum suasoriis suffragiis gaudere perrexerunt, quum contra Gubernatori in his jus supremum competeret. Notanda praesertim hic est sententia Cons. VAN IDSINGA,⁽²⁾ quo teste Gubernatoribus datus est titulus *Curatoris Magnificentissimi*, quem titulum Gubernatori proprium dicit ex summi muneric natura. Praeterea magni momenti est, quod idem auctor his addidit: «dat de andere Academien in deeze Republyk, door de Staten der bijzondere Provincien, en daar onder die te Franeker in Friesland, altans voor zoo verre eenige Wetten betreft, met goedkeuring van den Graaf van Leicester, onder de Stadhouderschappen zyn opgericht: ten welken opzigte het aanmerkelyk is datter onder een Stadhoulderlooze Regeeringe, nimmer eenige Academie in deze Republiek is gesticht. — »

Ex his colligitur majorem statim fuisse Ordinum auctoritatem hac in re, si quando leges essent condendae, postquam, ejurato Hispaniae rege, non suadere tantum sed jam

(1) BOOMKAMP, *Alkmaeri en zyne Geschiedenissen*, 1767. pag. 336.

(2) o. c. pag. 393. — «Zynde de titel van *Curator Magnificentissimus*, ofte eenige andere diergelyke, aan het Stadhouderschap, uit de natur van die hoge weerdigheid eigen: zonder dat het nodig is dat daar van een byzondere opdragt geschiede.»

suffragia ferre cooperunt. Hactenus autem, ne ei deesset auxilium pecuniarium, indigebat **GUilielmus** Ordinum comprobatione; ceteroquin vero Regis munere instructus habebat unde de Juventute instituenda plene statueret. Quum vero reipublicae imminerent tantae clades, ut de Institutione promovenda parum posset cogitari, illi, qui Reformatae Ecclesiae causam in Synodis tuebantur, ut eam rem sibi vindicarent et per decreta procurarent, magis magisque studuerunt.

Jacta nondum belli alea, quum periculosissimum videatur ad novissimi cultus defensionem publice convenire, fuerunt tamen ex studiosissimis sacrorum Reformatoribus in urbe Vesaliae congregati, qui, prima ibi habita Synodo, Ecclesiae Reformatae regundae posuerunt fundamenta. ⁽¹⁾ Qui sic novis sacris bene cupientes et de cultu publico cogitantes quasi Ecclesiae Catholicae adversari in omnibus studebant, illos putasse instar veterum Clericorum, juventutis curam gerere se posse, mirum videri nequit. Ita jam in hujus primae Synodi decretis (a° 1568) de juventute in ecclesiastico cantu erudienda cautum fuit in cap. 2°, ⁽²⁾ et in cap. 3° additum: «Men zal ook ernstelyk aanhouden bij de Ouders der Catechumenen ende Schoolmeesters, om haar te huis, ende in de Schoole neerstelyk te onderwyzen, opdat etc.» ⁽³⁾ — Haec a nonnullis Clericis extra patriae territorium suo arbitrio constituta, nullam profecto

(¹) Cf. A. YPEY en I. J. DERMOUT, *Geschiedenis der Nederland-sche Hervormde Kerk*, 1819. T. I. pag. 337.

(²) *Kerkelijk Placaatboek*, T. III. pag. 390. N.^o 32.

(³) *Ibidem* pag. 391. N.^o 3.

legis vim habere potuerunt, et aequē juris finibus excedunt ac reliqua Catholici cleri decreta de Institutione lata sine Civitatis consensu. Possunt merito excusare ejusmodi decreta temporum augustiae; ne tamen laudentur, uti fieri solet hodie, vetant Juris Publici paecepta.

In sequenti Synodo aⁱ 1571 (Emdانا) rem intactam reliquerunt Clerici; at vero post discessum Ducis Albani, quum tutius possent congregari, a^o 1574 peculiaris Hollandiae et Zeelandiae Clericorum Synodus habita fuit Dordraci, annuentibus Principe et Ordinibus Provinciae delegatis. Hac opportunitate Institutione ulterius vindicata, in art. 22 statuerunt: «Dewyle dat tot den dienst der Kerken ende »Politien goede Schoolen grootelyks van noode zyn, ende »hier en tegen quaade Schoolen grootelyks schaaden, zoo »zullen de Kerken-Dienaars van allen Classen, voor eerst »zorge draagen, op welke Plaatsen Schoolen ende School- »meesters behoeven te weezen. Ten anderen, of den School- »meesters der Plaatsen daar men van handelt, voortyds »een verordende ofte bestelde belooninge gegeeven is. »Ten derden, zullen zy van de Overheid begeeren, dat »het hun geoorloft zy een Schoolmeester te stellen, ende »dat de Overheid beveele, dat onderhoud ofte *stipendium* »te betaalen 't welk eertjids plag betaalt te worden. Ten »laatste zullen zy verzorgen, dat de Schoolmeesters de »Belydinge des Geloofs onderschryven etc. — — — Ende »zoo daar eenige Schoolmeesters waren, die dit niet doen »en wilden, zoo zullen de Kerken-Dienaars de Overheid »bidden, datze geweeret ofte afgezet worden. Ende zoo de »Dienaren eenig van deeze voorverhaalde dingen, van de »Overheid haarer Plaatsen niet verkrygen kunnen, zoo

»zullen zy 't by de hooge Overheid aanzoeken, ende de zaak voortdryven.» — (¹)

Quo animo universa Synodi decreta imbuta fuisse dicuntur, ut scilicet magis ecclesiasticae auctoritatis fines extendi et quaedam mere civilia amplecti possent, idem apparet in his, quae de Institutione suo Marte decreverunt Clerici. (²) Ejusmodi sibi oblata decreta merito comprobare Ordines recusarunt, veriti ne Calvini praecepta ita recipiendo, summo Principi Civitatis quid detraheretur.

Sacrorum emendatorum antistites in his pristinae hierarchiae viam sequi voluisse, ita ut aliquando intercedere debuerit auctoritas publica, (³) illud neque negari neque laude celebrari potest. Sic, quae sua auctoritate munire noluit Civitatis Rector, ea irrita fuerunt atque frustra a Clericis constituta, et juris vinculo neminem obligarunt.

Rebusita compositis, de Ecclesiae regimine constituendo et necessitudine inter Ecclesiam et Civitatem circumscribenda, prudenter cogitavit ipse Princeps GUILIELMUS, compositis quibusdam legibus ecclesiasticis a prioribus Clericorum quam maxime diversis. (⁴) Destitit tamen Princeps a consilio per turbatam Civitatis conditionem, unde nova statim molientes Clerici, ut votis suis potirentur, iterum convocarunt Synodum Universalem (Nationale) aº 1578, quae Dordraci habita studio Cicerorum adversus imperium civile insignis, non potuit non Civitatis

(¹) *Kerk. Placaatboek*, T. III. pag. 430.

(²) YPEY et DERMOUT, o. c. pag. 338.

(³) BRANDT, *Historie der Reformatie*, T. I. pag. 559.

(⁴) YPEY en DERMOUT, o. c. pag. 339 seq.

Principem offendere et magis duxit ad litis acerbitatem augendam , quam eam placide componendam . Quam obrem , quod ibi decretum est : « Men zal arbeiden , dat » overal Schoolen opgerecht worden , in dewelken de Kina- » deren niet alleen in spraak ende konsten : maar ook voor- » namelyk in den Christelyken Catechismo onderweezen , » ende tot de Predicatien geleid worden » (1) — hoc igitur cum reliquis omnibus non magis quam priora valuerunt . Quod quum ipsi intelligerent Clerici , ab Ordinibus petiverunt quosdam delegatos , qui Synodo Medioburgi habenda interessent , ne ita saltem tacitus Civitatis consensus desideraretur . At vero his quoque non indulserunt Ordines , qui semper de legibus ecclesiasticis ipsi cogitabant et Clericorum postulationibus cedere se non posse existimabant . Sic iterum Synodus a° 1581 habita Principis suffragii caruit , licet de Institutione idem fere , quod antea statuerant , decretis suis recipere studuerint Clerici . (2)

Inter tantas civium discordias incidit mutata imperii forma per ejuratum Hispaniae regem et constitutam Belgii Foederati rempublicam . Ab hoc demum tempore novam plane viam ingressi sunt Provinciae Ordines . Jam a° 1582 , Principis Arausiaci voluntati obsequentes , Hagae Comitis convenerant quidam delegati de legibus ecclesiasticis consultum , qui , proxime sequenti anno opere absoluto , constitutionem certe publicassent , nisi res denuo per tristissimas Civitatis clades interiisset . Ita jam , Ordinum potestate per Angliae legatum LEICESTERUM coarctata , Clerico-

(1) Kerk. Placaatboek , T. III. pag. 454. Art. 47.

(2) YPEY en DERMOUT , o. c. pag. 342.

rum studia liberius in Civitatis jura grassarri coeperunt et nova habita aº 1586 Synodo Hagana , Ecclesiae decreta LEICESTERI suffragia tulerunt. Majoribus his difficultatibus impediti , tandem quod diutius negare periculosissimum videbatur , id ratum habuerunt Ordines. Ita oblatam sibi a LEICESTERO Ecclesiae Constitutionem comprobarunt *salvo* tamen cum aliis multis *Ordinum Nobilium et Magistratum* jure circa Scholarum magistros ; (¹) quamobrem Synodi decreto de Institutione (Art. 19 et 48), quae tantum ludi-magistros spectabant, minime confirmarunt Ordines. (²) Contra vero , ut interruptam saepe leges ecclesiasticas constituendi curam reciperent, veterem anno 1583 compositam Ordinationem ad examen revocandam esse decreverunt. At nunc quoque , quantopere res magnae discordiis dilabantur, eventus docuit. (³) Superest tamen ipsum legis specimen , dignum quod cum Synodorum decretis comparetur , saltem quatenus de Institutione statuit. Possumus inde simul de Ordinum sententiis circa rem tamdiu agitatam judicare , quare illud hic omittendum non esse videtur. In art. 39 legimus : «En alsoo tot vorderinge van den

(¹) Ibidem pag. 348. BRANDT , o. c. T. I. pag. 720.

(²) Art. 19. «De Kerkenraaden zullen alomme toeziend dat er »goede Schoolmeesters zyn, die niet alleen de Kinderen leeren Leezen , Schryven , Spraaken ende vrye Konsten , maar ook die zelfde »in der Godzaligheid ende in den Catechismo onderwyzen.» (Kerk. Placaatboek , T. III. pag. 523.) Art. 48. «Insgeleys zullen ook de »Schoolmeesters gehouden zyn de Artikelen als boven , ofte in de »plaetse van dien den Christelyken Catechismum te onderteekenend .» (ibidem pag. 528.)

(³) De his cf. YPEY en DERMOUT , I. I. pag. 353.

»dienst der Kerken noodig is , op de schoolen goede orde
»te houden , soo word de Officiers , en Magistraaten in de
»Steeden , de Hoofdofficieren ten platten lande , Heeren
»en Ambagtsheeren , hebbende de gifte van de Scholas-
»trye , ernstelyk gebooden goede toesigt te neemen , dat
»van nu voortaan geen Schoolmeesters en worden aange-
»noomen , of gedoogt , ten zy dezelve Schoolmeesters zyn
»van goed leeuen , en openbaare belydenis doen voor de
»Overheid aldaar , ten overstaan van eenige van de Ker-
»ken-dienaars , van te willen navolgen en onderhouden
»de Leeringe der H. Apostelen en Propheeten , soo als
»die in den Ouden en Nieuwen Testamente begrepen , en
»sommierlyk in den Catechismo vervat zyn. En dat sy den
»Jongeren niet en sullen leeren het geene dat daar tegen
»eenigsints is strydende , op poene , dat indien by con-
»niuentie van de Officieren bevonden word , dat van nu
»voortaan eenige ongequalificeerde tot de voorseide scho-
»len worden gesteld of gedoogt , de voornoemde Officiers
»daar over arbitralyk gestraft sullen worden.» (1)

Ex his verbis satis constat voluisse legislatorem multa-
de Institutione arbitrio relinqu eorum , qui Schola-
rum magisterium curabant , sicut hactenus fieri consueve-
rat. Hinc anno 1578 magistratus Lugdunenses veteres
Choras de Scholis commutasse et ad novae religionis
praecepta accommodasse dicuntur (2); id quod jure fecisse
et tamquam Summi Imperantis mandatarios , ex supra dictis
satis erit conspicuum.

(1) *Kerk. Placaatboek* , T. II. pag. 268.

(2) VAN MIERIS EN VAN ALPHEN , *Beschr. van Leyden* , T. II.
p. 437 seq.

Sed jam intra Disputationis fines, unde egressi sumus paulisper, redeamus. Quodsi nunc ad hanc responderi debeat quaestionem: quid juris fuerit in patria nostra de Institutione procuranda ante et brevi post rerum conversionem a^o 1581; ex hactenus dictis, ut spero, sequentia colliguntur facile: Ante rerum conversionem omnis Institutionis tutela fuit penes Imperantem, vel, qui ejus locum tenuit, Gubernatorem. Hinc quam Synodi decretis suis rem aggredentur, Ordines delegati contra Gubernatoris voluntatem ea confirmare noluerunt, sed ipsi quoque, ut Ordinationem Ecclesiasticam constituerent, haesitarunt, et, non nisi suadente ipso Gouvernatore, aliquid ea in re perficere conatis sunt. In his omnibus ut aliquid sua auctoritate et arbitrio constituerent, deerat iis adhuc quaedam delegata summi Imperii potestas. At vero post rerum conversionem et Synodi decreta comprobarunt, (quali comprobatione opus esse ipse LEICESTERUS intellexit), et ipsi ultro de legibus ecclesiasticis cogitarunt; sed etiam, quod majoris momenti est, ab eo inde tempore de Institutione statim ipsi Ordines delegati leges tulerunt. Ita prodierunt jam in Hollandia Ordinum Decreta a^o 1581 et 1589, (¹) in Zeelandia a^o 1590 (²) in Frisia a^o 1580, 1582 et 1584; (³) cum peculiares leges ecclesiasticae, ubicunque in singulis provinciis invaluerunt, Ordinum curae et auctoritati debeantur. (⁴)

(¹) *Groot Placaetboek*, T. I. pag. 211 seqq. et 126 seqq.

(²) *Kerkelijk Placaatboek*, T. III. pag. 269. Desideratur illud apud BUDDINGH, o. c.

(³) YPEY en DERMOUT, o. I. pag. 353 seqq.

(⁴) Haec, quae etiam ante annum 1581 de Institutione tulisse dicuntur Ordinum Deputati, nequaquam nostram sententiam infi-

Quae quam ita sint, ex his et quae de potestate Legislatoria diximus in exordio hujus §, illud sequitur: post annum 1581 de Juventute instituenda sua sponte curam gessisse Ordines Provinciales, cum antea hujus rei procurandae jus intactum permanserit semper penes ipsos Principes eorumque Gubernatores. Quodsi cogitaveris, ante idem tempus omnem potestatem legislatoriam fuisse penes Principes, post vero ad Ordines transiisse, non dubito quin Comites, de Institutione statuentes, tanquam Legislatores se gesserint, non secus quam postea Ordines Provinciales. Igitur nullum placitum sive Laicorum sive Clericorum absque legislatoris auctoritate valere potuit, eamque ob causam non nisi ultimae Synodi Dordracenae Decreta aº 1618 legis vim habuisse constat.

Ceterum utrum in Institutione procuranda etiam his quae perquisivimus temporibus, ecclesiastica magis quam civilis prudentia laudanda sit, judicabit ipse, si quem natus sim, lector.

tiantur, nam in Frisia quam magna fuerit ordinum auctoritas etiam antea, satis notum est ex WINSEMII, o. c. pag. 440 et alibi. De ipsis Ordinationibus vide BUDDINGH; *Archief, Mengelwerk*, pag. 131 seqq.

CONCLUSIO.

Propositum opus absolvī, quoad Dissertationis fines siverunt et aetas juvenilis. Priusquam tamen portum contingere et fessae dare serta carinae liceat, omne decursum spatium in unum quasi conspectum contrahamus, ut conclusioni locus sit.

Jam ex Graecorum antiquitate ad nos pervenit ARISTOTELIS praeceptum: «*ὅτι μὲν οὖν νομοθέτης μάλιστα πραγματευτέον περὶ τὴν τῶν νέων παιδείαν*,» et «*ὅτι μὲν οὖν νομοθετητέον περὶ παιδείαν, καὶ ταυτην κοινήν ποιητέον φανερόν.*»⁽¹⁾ Hae et similes PLUTARCHI⁽²⁾, PLATONIS⁽³⁾ aliorumque voces, quae veterum sapientiam testantur, jam recentiorum studiis et suggillationibus

(1) *Politicorum*, L. VIII. c. 1.

(2) In Comp. LYCURI cum NUMA.

(3) In Libris *de Republica* passim.

solent suffocari. Qua in re benigniora fuisse etiam prima Christiani aevi tempora, de Gallia saltem sub Imperio Romano vidimus **GRATIANI** exemplo, qui summi Imperantis esse existimavit, curam gerere juventutis Institutionis. Excepit hanc aetatem ea temporum infelicitas, quibus studia contabuerunt, et quominus Civitas ea curaret, obstabat ipsius Imperii infirmitas et incerta populorum conditio Politica. Mox vero, devictis plerisque Europae populis, quum **CAROLUS MAGNUS** id sibi proposuisset, ut varias imperii partes uno politici juris vinculo constrin- geret et in republica ordinanda administrandaque ad certam omnia atque stabilem normam componeret, non potuit, quum tantam prudentiam litterarum quoque studia orna- rent, quin augustissimus imperii Princeps in juventutis Institutione procuranda plus quam mediocrem se gesserit Imperantem. Ita non modo ipse tantam rem summa pro- ce- cutus est sollicitudine, verum etiam cum populi Proceribus eam communicavit, utpote qui optime intellexerit, eam totam ad legislatorem pertinere. Fuerunt illi Proceres neque populi Delegati (Volksvertegenwoordigers) neque Impera- toris ministri, sed ex Ordinibus Clericorum et Laicorum Senatores, quorum consensum, quotiescumque de majo- ribus imperii causis legibus erat statuendum, rogabat non tantum Princeps, sed etiam necessarium sibi arbitrabatur. Habentur itaque merito eorum Placita hodierni instituti Ordinum Generalium (Etats Généraux) fundamentum; quamobrem, quod in votis habent nonnulli, ne scilicet extra Ordinum consensum in Institutione Juventutis quid legis auctoritatem nanciscatur, id jam per **CAROLUM M.** quodam- modo invaluit antiquitus.

Confusa nimis cum Civitate Ecclesiae potestate et omni ingenii cultura ad divini cultus usum conversa, mirum non est, Francorum Imperii Legislatorem Institutionis curam clero mandasse, unde illam per longum temporis spatium placida quiete occupavit Ecclesia. Hinc non nemini videri posset legislator jus suum Ecclesiae per cessionem tradidisse; quod, quantopere a veritate distet, cum Decreta Conciliorum ostendunt, legislatoris consensu munita, tum etiam per longam legislatoriae procurationis intercapitatem FREDERICI I exemplum in Authentica aⁱ 1151 simul ac Institutio communis extra Ecclesiam per Universitates reviviscere coepit. In ea quoque Legislatoris persona agnoscitur; non enim suo arbitrio Constitutionem illam tulisse dicitur Imperator, sed habita Sacri Palatii examinatione, ita quidem, ut ex ipsa Caesarea Constitutione τῆς ρυμοθεσίας rationem hac aetate confici posse existimaverint scriptores, ⁽¹⁾ et nobis saltem eam legislatori adscribere liceat.

Constitutam sub hac Germanici Imperii forma patriam si propius intueamur, quemadmodum omnis Principum auctoritas ex territorii dominio originem cepit, ita tamen, ut eam unice fundaverit increscens Superioritas, sic quoque Institutionis cura, quae tantum in Scholarum magisterio procurando constabat initio, Patrimonialis fuit primo, Ea tamen Belgii Principum sedem statim occupavit, quum per Superioritatem illam Territorialem omnia jura Majestatica quasi ex Germanici Imperii Palatio in Belgii Principum aulam transferrentur. Itaque duo distinguenda sunt: Jus Scholarum et Jus Institutionem publice procurandi.

(1) H. CONRINGIUS, *Ant. Acad.* pag. 367.

Hoc non nisi per Superioritatem Territorialem acceperunt Principes quasi tacito Imperatoris consensu traditum, illud, tamquam Patrimoniale, omnibus competit fundi dominis aut usufructuariis hereditariis; quo titulo illud hodieque vindicant nonnulli, quorum jura vulgo dicuntur Dominica (Heerlijke Regten).

Quae omnia uti ex Carolingica rempublicam administrandi ratione proprie fluxerunt, ita quoque Capitularium veterum auctoritate, *consuetudinum* nomine, fuerunt observata.

Impertiverunt igitur Comites Duces ceterique Principes privilegia non qua Principes sed qua terrarum domini, uti privatos Dynastas quoque illud fecisse constat.⁽¹⁾ Quod vero ea de re placita quaedam tulerint oppidani, id Principis nomine tantum factum est per magistratus municipales, vel ex peculiari Principis privilegio de choris constituendis repetatur necesse est. Unde denuo illud sequitur: radio-ribus etiam medii aevi temporibus, Institutionis curam jure fuisse penes legislatorem, qui erat tunc Princeps; quum Scholarum jus nihil revera esset, nisi ex Scholae magisterio procurando lucrum percipiendi facultas.

Confirmata sensim civium libertate, quum Procerum Concilium magis stabile haberi coepit, sub CAROLO V. Imp. ejusque successore PHILIPPO aliquam Institutionis tutelae partem receperunt Proceres per suasoriam leges dijudicandi potestatem. Interim Clerici summis viribus contendeant, ut amissam suam auctoritatem recuperarent, eorumque flagitationibus certe non deerat PHILIPPUS. At

(1) Vide dipl. de Schola Euchusana in App. N.º 4.

vero qui in propagandis Ecclesiae decretis , ut puta Concilii Tridentini, ita caute prospexit, ne jura sua Majestatica laederentur , ut potius his consultum voluerit publice , illi certe , quominus de jure suo in Institutionem aliquid cederet Ecclesiae , defuit et auctoritas et voluntas.

Idem dicendum est de Regio Gubernatore post rerum conversionem aⁱ 1572 et receptum magismagisque emanatorum sacrorum cultum , cum Ecclesia continuo de iuribus imperii disceptaret cum summo Imperante et per Synodorum decreta aliquam in Institutionem auctoritatem sibi asserere conaretur. Tunc enim prudenti consilio et Gubernator et Ordines Delegati vindiciis Clericorum restiterunt , ne quandoque et altera hierarchia oriretur. Haec , quae in primis Ecclesiae Reformatae fautoribus dolemus studia , feliciter profligarunt qui reipublicae clavem tunc tenebant. Ita quim tandem a^o 1618 , contusis pristinis Clericorum postulationibus , Synodus Dordracena meliorem tulisset ordinationem , quae saltem supremo Imperii juri minus adversabatur, hanc nequaquam renuit Civitas sed approbatione sua munivit. Num eo igitur Civitas , jus Ecclesiae circa Institutionem agnovit aut suum cessit? Evidem non dixerim. Etenim si Synodi decreta intuearis , non nisi de mera Catechetica Institutione placita invenies. Quantumvis licet ibi Clerici de Scholis et magistris Scholarum statuerint , omne hoc ntititur fundamento , *Catecheticam* Institutionem esse triplicem ; Domesticam , Scholasticam et Ecclesiasticam : de his singulis in decretis suo loco mentio fit , sed extra Catecheticam Institutionem nihil statuitur. Quamobrem merito ejusmodi placita comprobavit summus Imperans , utpote quae mera fuerint ecclesiastica. Quae quum

ita sint, quomodo haec Synodi Ordinatio a nonnullis (¹) dici possit quasi lex fundamentalis fuisse totius Publicae Institutionis, id, nisi partium studio tribuatur, intelligi nequit. Eadem fuerunt religionis praecepta, quibus imbuti et Clerici in Synodis et Proceres in Ordinum Concilio suam quique rem curarunt; at vero Provinciarum Ordines in legibus ferendis Synodi decreto tamquam lege fundamentali usos fuisse, sunt haec opinioneum commenta, quae confirmari nequeunt.

De Dordracena Synodo quae in hocce epilogo disputavimus extra Disputationis fines, venia iis, spero, dabitur, quandoquidem ita, duce historia, quid seculo decimo septimo et octavo in Institutione procuranda publici juris fuerit, ultro intelligitur.

Jam igitur ex antiquissimo jure publico vidimus, Juventutis Instituendae curam ad Legislatorem semper pertinuisse, etiamsi nonnumquam seculi aerumnis ea torpuerit et quodammodo ad Ecclesiam facto pervenerit; atque adeo Institutionem revera liberam, qualem hodie sibi fingunt, fuisse numquam. Quare egregie pronunciavit Nob. de KEVERBERG: «le principe de cette liberté ne fut jamais en vigueur dans le Royaume des Pays-Bas, ni, que je sache, dans aucun état de l'Europe.» (²) Contrarium quidem prorsus professi sunt qui in provincia Luxemburgensi aliquando hanc Institutionis libertatem postularunt, talia perhibentes: «On se tromperait grandement si l'on s'imaginait que la liberté d'enseigner, si ardemment invoquée

(¹) Ita BUDDINGH, o. c. T. II. p. 2. pag. 42 seq.

(²) *Du Royaume des Pays-Bas*, La Haye 1834, Pièces Just. p. 257.

»depuis un an , n'ait pas existé dans l'ancien temps :»⁽¹⁾ verum enimvero quid proxime ad veritatem historiae accedit et a partium studio sit remotissimum , illud , spero , ex scriptis a nobis poterit judicare Lector , cui quidem , ut cum Historico loquar , *Galba , Otho , Vitellius , nec beneficio nec injuria cogniti*. Alia autem haec est quaestio : quale sit hodie de Publica Institutione Legis Publicae nostrae praeceptum . Verumtamen ad constituendam veram , a multis addubitatam , istorum sententiam verborum , quibus in Art. 224 omnis Publicae Institutionis cura mandatur summo Imperanti (de Regering) ; si quando ex hac Disputatione historicum argumentum tale posset peti , unde constaret , hodie quoque , ad antiquissimi Juris Publici exemplum , de Publica Institutione Legislatori suffragium deberi , haberem profecto quod laetarer , non tantum mihi met ipsi operae pretium me fecisse.

(1) *Rapport de la Commission d'Instruction du Grand Duché de Luxembourg sur une question relative au droit d'enseigner* , in M. VICTOR COUSIN , *de l'Instruction Publique en Hollande* , Paris 1837. pag. 304.

T A N T U M .

Argentia sunt ruribus usque ad eam, non solum ruris sed etiam urbium et ambo resumuntur. Ita etiam nomen eius. Argentaria est pars urbium, alioquin ruris. In quo? Et ruris non solum ruris, sed etiam urbium, non solum urbium, sed etiam ruris. Tunc enim ruris, quod non est pars urbium, non solum ruris, sed etiam urbium, non solum urbium, sed etiam ruris. Tunc enim ruris, quod non est pars urbium, non solum ruris, sed etiam urbium, non solum urbium, sed etiam ruris.

APPENDIX.

N.^o 1.

De Schola Zierikzeae.

1304—1469.

Wy broeder Pieter Pieters Kimen en Prior, in 't gemeen convent der Carthusieren van Sion en Noortgouwe, buyten Ziericzee, doen cond allen luyden, dat wy op den dag van huden gesien, gevisenteert, ende gelesen hebben eenen openen brief, in franchine geschreven, gants gave, ingecanselleert, ende sonder enige rasure, bezegelt met des edelen ende mogendens Heeren zegel, Willem, oudste sone 's Graven van Henegouwen, enz. inhoudende van woerde te woerde gelyk hierna geschreven staet.

Wy Willem, oudste sone 's Graven van Henegouwen, van Holland, van Zeeland, ende Heere van Vriesland, Ridder, maken cond allen lieden, dat wy ons Heeren ons vaders getrouwuen poorteren van Ziericzee omme menigen getrouwuen diensten, dien sy ons dicken gedaen hebben, ende sullen doen, geven van ons Heeren wegen, ons vaders ende den onsen, dat sy die schole van Ziericzee geven mogen, also open word, eenen clerq, die ons getrouwe is, ende der poort oirbare. Ende omme dat wy willen,

dat dit stat blijve ende vast, soo hebben wy desen brieff besegelt met ons zegelc, ende hebben onsen Heer onsen vadere in belovet te houden. Gegeven in 't jaer onses Heeren, als men schreef M. CCC. ende viere, des woensdags voor Assention.

Ende, want wy desen brief, als voorsz. is, gesien, gevisiteert, ende gelezen hebben, soo hebben wy in getuygenisse der waerheyt desen brief besegelt met onsen ende met ons gemeens Cloosters ende Convents zegele hier aen hangende. Gedaan in 't jaer onses Heeren MCCCC negen en sestig, op den derden dag in September.

Onder stond geschreven, naer collatien jegens
d'origineel vidimus bevonden te occorderen
by my onderteykent

C. ADRIAENSE.

N.^o. 2.

De Schola Dordracena.

1292.

Wy Rechtre Scelpene Raet ende die ghemeene porters van Dordrecht groeten ende maken cont ende kenlee alle denghenen die desen brieff sullen sien ende horen dat wy bi den ghemenen Rade van Dordrecht hebben ghegheven die scole van Dordrecht ewelike int gasthuus te Dordrecht die sieke mede te lavene ende haren cost mede te doene die nu 't wilen int gasthuus lieghen ende onser vrouwe van hemelrike ende hier bi en sal niemen ghene scoele houden binnen der vriheit van Dordrecht sonder die vorseide scoele die wii hebben ghegheven int gasthuus te Dordrecht doer onzer vrouwen ere van hemelrike ende omme dat wii willen dat dese dinc ewelike vast blive ende ghestade so hebben wii desen brieff beseghelt metter port seghele van Dordrecht ghegheven int jaar ons Heren MCC toe ende neghentich des vriendaghes na onser vrouwen daghe ter latere.

N.^o 3.

Pactum Pacis aⁱ 1428.

Jacoba etc. — doen kond allen Luyden , want de Soene uytgesprocken op den dag van huyden , tusschen onsen lieven geminden Heere Neve Philips etc. — ende ons, onsen Landen , Luyden en Ondersaten hulpen en medeplegen , aen d'ander zyde , in eenen pointe inhoudt ende begrijpt , dat onsen voorschreven Neve , dat Regiment onser Landen van Henegouwen , van Hollandt , van Zeelandt en van Vrieslandt voorsz. hebben en behouden sal van onsen wege , sonder yet daer uyt te scheyden , ter tydt toe dat Wy gehylicht wesen sullen etc.: soo hebben Wydaeromme — gegonnen , overgegeven , ende in handen geset , en mit desen Brieve gonen , geven over , ende in handen setten onsen lieven Neve voorschreven , dat Regiment Onser gemeene Craefschappen en Landen van Henegouwen , van Hollandt , var Zeelandt , ende van Vrieslandt , boven genoemt , met allen haren Ommelanden , Eylanden en toebehooren , die alinge en al te bewaren , te bedryven , te beschermen , ende te regeeren , gelyck daer toe behoort , ende een goedt Ruwaert ende Gouverneur schuldigh is te doen , ende in aller voegen ende manieren als die Soene voornoemt dat klaerlycken inhoudt , ende geven Onsen lieven Neve voorschreven macht alle Amptluyden , Casteleynen , Officieren , Rechteren en Dienaren te setten en te ontsetten , ofte by den geenen die hy daer toe machtigen sal , te doen setten , en te ontsetten , binnen Steden en daer buyten , tot allen tyden als hem dat nut en oorboirlyck duncken sal , duyrende den tydt des Regiments , nac inhoudt der Soene voorsz.; ende voort die Beneficien binnen den selven Landen , alsoo wel Sielen-last hebbende , ende Parochie-Kerken , Kosteryen ende Scholasteryen , als Mannen ende Vrouwen Pro-vanden , mitgaders allen anderen Beneficien te geven ; ende des-gelycks Klerken , Boden-ambachten , ende andere Officien inden voorschreven Landen , als sy vallen en verschynen sullen , alle saecken te herechten ende te doen herechten , in 't hooge ende in 't lage te gebieden te doen en te laten , in allen stucken groot ende kleyn , die inden selven Lande ontstaen en vervallen mogen , en

anders etc. — ; behoudelyck ons die Renten , Breucken ende vervallen der Landen voorschreven , ende allen anderen poincten in hare machten te blyven , na uytwysinge der voorschreve Soene ; behoudelyck ons oock de nominatie van der helft van de Beneficien , Kosteryen , Scholasteryen , Boden-Ambachten en anderen Officieren , diemen in den selven Landen gewoonlyck is te geven te lyve , die den tyt des voorschreven Regiments gedurende vallen sullen in onse voorsz. Landen , te weten , in die maenden van Augusto , Octobri , Decembri , Februario , Aprili en Junio , tot den welcken Beneficien ende Officien die vallen en verschynen in die ses maenden voornoemt , en geen anderen , Wy sullen mogen onsen voorsz. Neve den Hertoge van Bourgoigne , Gouverneur onser voorsz. Landen noemen ende presenteren binnen vier maenden na dat sy verschenen zijn , Persoenen die daer nutte en waerdigh wesen sullen : Ende sal onse voorschreve Neve gehouden wesen die selve Beneficien ende Officien te geven den geenen wien Wy alsoo daer toe genoemt sullen hebben binnen den voorschreven naesten vier maenden , na dat die verscheenen sullen zyn : Ende of het gebeurde dat Wy gebreeckelyck vielen binnen vier maenden voorschreven , eenige Persoenen te nomineren ten Beneficien en Officien die vervallen ofte verschijnen mochten binnen de ses maenden voorschreven , soo sal dan die geene op der tydt die versuymt waer , Onse voorschreve Neve als Gouverneur der Landen voorschreven , en desgelycks die Beneficien ende Officien die die in die andere ses maenden , te weten in Septembri , Novembri , Januario , Marti , Mayo en Julio vallen ende verschynen sullen in onse voorsz. Landen , sulcke Persoenen als hem gelieven en goet duncken sal daertoe nut en waerdigh wesende ; ontbieden daeromme etc. — Gegeven in onser Stede tot Delf op Saturdag den derden dagh in Julio , in 't jaer onses Heeren 1428.

N.^o 4.

De Schola Enehusana.

1436.

Philipus , by der gratie Godts Hertoge van Bourgondien , van

Lothryck , van Brabandt etc. etc. — doen kondt allen luyden ,
alsoo wy mit onsen anderen brieven voortyds gegeven hebben
Willem Legrain om de trouwe diensten , die hy onse Heer en
Vader , zaliger gedachten , langen tydt gedaen hadde , sonder daer
af geloont te wesen , die Costerye , Scholasterye , Clerck-ambacht ,
ende een officie van een capellerye in den Gasthuyse binnen onse
stede van Enchuyzen , des selven Willems leven langh gEDURENDE ,
so heeft die voornoemde Willem ons weder die voirsz .
Costarye , Scholasterye , Clerck-ambocht en officie van der capel-
lerye in den Gasthuyse binnen Enchuyzen overgegeven , ende
quyt geschouden tot behoef onser stede van Enchuyzen , des heeft
onse stede van Enchuyzen ons ootmoedelyck gevolght , te kennen
ghevende , dat sy , mit dat die voorschreven diensten aldus by ons
gegeven pleghen te worden , seer ontvordert worden , ende dat
daer in dienaren geset worden , die hem niet gadilyck en zyn ,
biddende daeromme , dat wy hem de voorschreven diensten geven ,
ende gunnen woude om by hem die te doen regeeren by persoonen
die hem nutte daer toe wesen sullen . Ende want wy onse stede
van Enchuyzen geerne gevordert sagen in mogentlycke saecken ,
soo hebben wy om de goede diensten die sy onse voorvaderen , ende
ons , Grave van Hollandt , dicke gedaen hebben , ende noch meer
doen sullen , of Godt wil , ende op dat sy te meer ons te dienen
bevonden sullen wesen , ende oock aenghesien dat de selve dienste
onser voorschreven stede meer aengaen dan ons , ende dat sy niet
van onser domeynen gerekent noch gehouden gheweest en heb-
ben , ende kennende weten het den oirbaer v. dien tot haren
ondersaten , ende kinderen profyt , dan vreemt luyden , die wy
daer in setten mochte , gemerkt mede dat onse voorvaderen , zalig-
ger gedachten , alsulcke of gelycke diensten aan den steden , ende
dorpen by Enchuyzen voorschreven gheseten , gegeven ende
gegunt hebben , der selver onse stede gegonneen , ende gegeven
hebben , gonnen , ende geven mit dese brieve de costarye , scho-
lasterye , Clerck-ambacht , en de officie van der capellerye in den
Gasthuysen binnen onse stede van Enchuyzen mit alle heure
toebehooren erfelyck , en eeuwelyck , om daer in te setten , ende te

doen bedienen by sulcken persoon, als hem nutte duncken sal, voor onse stede voorschreven, soo dat wy, noch onse erven voortaaen geen recht, noch toesegghen in de voorschreven diensten, noch capellerye hebben, noch houden en sullen in eenige wys, niet tegenstaende eenige macht brieven, instructie, of andere beveelinghe, die wy onse Gouverneur, of Raden van Hollandt, of anderen voortyds mogen gedaen hebben, die wy in praejudici van desen en willen van geenre waerden wesen. In oirconden etc.

Aldus geteyckent,
By mynen Heere den Hertoge.

J. ROSE.

N.^o 5.

De Schola Bevervici.

1434.

Margriete enz. doen condt allen luden, dat wy alzoe verre, als in ons is, gegeven hebben, ende geven mit desen brieve puerlyck om Goids willen onser getrouwde stede, ende poirteren van Beverwyck tot behoeff der kercken aldair die scole, costerie, ende seryfambocht van Beverwyck, die rechtevoirt na dode Heynryc, Gheryts soen, ende Claes, Symoens soen, die dair nu besitters off syn, aen te vaten, te besitten, ende te gebruiken mit sulken nutscappen, profiten, ende vervallen dair off te hebben totter kercken behoeff voirnoemt, als mit rechte dair toe staen, ende custumelie is, tot ewigen dagen durende. Ende des in getugenisse etc.

N.^o 6.

De Schola Vlardingensi.

1442.

Philips etc. doen condt allen luden dat wy puyrliken om Goids willen gegeven hebben ende geven mit desen brieve Claes Jan Claesz. geheten Zadelmaker, die costerye van onse Prochykerke te Vlairdingen mitter scole ende mit anders allen horen toebeho-

ren aldair, te bedriven ende te bewaeren ofte te doen bewaeren
als dair toebehoirt ende ombieden — — . Datum xj dagh in Nov.
xiiiijc XLII.

N.º 7.

Programma Magistratus Hardewicensis.

1540.

Pio Lectori sal.

Quandoquidem literarum studiis nihil praestabilius, nihil resp.
Christianae magis necessarium. Hinc enim mores, hinc leges
atque jura cum divina, tum humana omnia perdiscuntur, sine
quibus hominum nullus coetus consistere et celebrari potest. Et
quanto plures eruditione atque morum gravitate praestantes viros,
eosque veris de honesto et in honesto opinionibus resp. imbutos
habeat, tanto censenda est felicior et dignior. Quid, quod Plato
hactenus respublicas fore dicat fortunatas, si aut philosophentur
reges, aut iis qui philosophiae decretis instructi sunt, rerumpubl.
habenae committantur? Hinc igitur factum quod nostri majores,
prudentissimi homines, scholas et gymnasia instituerunt, in qui-
bus ab ineunte aetate, ad eas artes, mores, atque omnia officii
vitaeque numera (quibus respubl. solis conservantur) ipsorum
liberi instruerentur. Quae majorum nostrorum cura et sapientissi-
mum Hardewici senatum, movit atque incitavit, ut ad Scholam
suam moderandam, hoc est, filios in omni genere et doctrinae et
virtutis, tam graece quam latine erudiendos, earum rerum pro-
fessores peritissimos, undecunque accersiret, quibus et liberale
pro laboribus stipendum numeraret. Quare notum facimus omni-
bus, civitatibus, pagis, et provinciis, ut qui liberos suos ad oppi-
dum Hardewicense mittere velint, fore ut in iis fideliter exercan-
tur artibus, quibus adjuti, et ad veram religionem tradendam et
civitates utiliter regendas idonei reddantur. Ubi praestantissimi
quique oratores, historici, poetae, quae ad grammatices utrius-
que linguae praecepta, rei dialecticae rationem, et rhetoricum
artificium faciunt, diligentissime ac purissime docebuntur. Ab

iis haec schola quae vel ad hanc vel illam haeresim spectant
(de quibus professorum religionis solum est statuere) omnino
abstinebit. Praeterea si bellis, aliisque id genus malis (quae rex
regum avertat) civitas Hardewicensis affligatur, tantam scholastici
civibus omnibus, tam exteris quam civibus immunitatem, ejusdem
civitatis senatus dabit, quantam quisque apud parentes domi
esset habiturus.

N.^o 8.

*Instructio Philippi Hispaniae Regis ad Gubernatorem
Guilielmum de dato 8 Aug. 1559.*

Edel welgeboren neue ende lieue getrouwe.

Al eest zoo, dat wy voor ons vertreken van deesen onsen nederlanden, nae onzen Coninckrycken van Spaengnen (aldaer wy corts vermeynen te reyzen) alle onse voorsz. Nederlanden int bysundere gheerne hadden besocht en gevisiteert, soe wel om int generale ons te informeren op tgene daermede men die goede administratie vandien zoude moghen voerderen in allen weeghen, als particulierlicken op t gene des stucks van der Religie angaen mach, ieghens diewelcke die viandt der meynschelicker natueren daghelick by zyne dieneren meer ende meer aerbeyt, om alles in tweedrachticheyt ende confusie te stellen. Des nyet tegenstaende ouermits andere letsel'en hebben wy tzelue nyet kunnen doen, maer ons betrouwende uwer wysheyd, discretie en getrouwigheyt hebben wy v mits deezen onzen brief wel willen vermaenen en belasten die puncten en articolen hiernae volgenden.

Ende in den eersten. —

V recommanderende en belastende wel ernstelicken en op zo vele als ghy ons aengenamen dienst begeert te doene die onderhoudenisse ende obseruatie van den voorscr. edicten opt stuck van der voorsz. Religie zoe rypelicken en wyselicken gemaeckt by wylen den Keyser onsen voorsz. Heere en Vadere *By advyse* nyet alleenlicken van allen zynen Raiden maer oick van den Staten van den zelven Landen van herwaerdsouwere by ons hevesticht — etc.

Ende hoe wel by de voorsz. placcaten ende edicten alle secten verboden zyn zoe van Lutheryen ende Sacramenterissen als van erdooperye, Deezen nochtans nyet tegenstaende verstaen wy dat diuersche luttel achtende op die voorsz. Lutheranen ende Sacramenterissen doen alleenlick eenich debuoir tegens die erdoopers. Waeromme en̄ want die voorsz. andere secten die poorten ende inganck zyn om van deen quaet in arger te vallen, willen en̄ ordonneren wy dat die voorsz. placcaten generalicken geobserveert zullen worden tegens alle sectarissen zonder eenige dissimulatie tegens den ghenen die alleenlick zouden mogen besmet zyn van den articulen en̄ dwalingen by Luther geintroduceert ende gesustineert. Ende want van noode is goet toesicht te nemen in de steden ende plaetsen daermen scholen houdt daervan tgouvernement en̄ administratie toebehoert den gouverneurs ende wethouders der voorsz. steden en̄ plaetsen, zult ghy den wethouders last heb bende van de voorsz. scholen van onsentwegen ordonneren de voorsz. scholen dickmael te visiteren en̄ eerstlich toesicht te nemen dat gheene schoolmrs ontfangen en worden tenzy dat dezelve notoirlichen Catholyck zyn ende dat zy de handt daer an houden dat de jonckbeyt wel onderwezen worden in den Cathecismus die wy tanderen tyden hebben doen publiceren.

V ordinerende etc. —

Edel Welgeboren Neue ende lieue getrouwe, onse heere God zy met V. gescreuen in onser Stadt van Gendt den viijen dach van Augusto 1559.

Onderteykent

PHILIPPE

DOUERLOEPE.

THESES.

Summo Imperanti Juventutis Institutionem tuendi et
jus debetur et incumbit officium, ac neque Familiarum
neque Ecclesiae postulationes umquam efficere debent, ut
ab illo jure decedat, aut officium illud deserat.

II.

Quod verissime dixit PASTORET, *Hist. de la Legislation*,
T. VII. pag. 519: «L'éducation doit concourir au but que
»la société se propose,» in eo omnis sita est Publicae
Institutionis utilitas.

III.

Ex Artⁱ 224 Legis Publicae nostrae sententia , omnem Institutionis curam non domesticae (openbaar) Legislatori mandatam judicamus.

IV.

Antiquum in patria nostra ludimagistros constituendi jus, quod amiserant Toparchae, non est annumerandum illis, quae, restaurata a^o 1813 civitate, restituit Princeps Arausiacus Decreto d. d. 26 Martii 1814 (Staatsbl. n.^o 46).

V.

Jure Justinianeo qui hereditatem vendidit nihilominus ipse manet heres. Idem obtinere in hereditatis delatae tantum needum acquisitae venditione contendō.

VI.

Portionem a coherede non acquisitam, quae heredi accrescit, emtori hereditatis esse restituendam, minus recte docuit MUHLENBRUCH, *Doctrina Pandectarum*, T. III. pag. 367, Not. 5.

VII.

Minus sibi constat Legislator Neerlandicus, avis proavisque legitimam tribuens portionem, non vero fratribus et sororibus, qui potiores sunt in successione ab intestato.

VIII.

Qui ex matrimonio *putativo* nascuntur, illi merito legiti-
timi habentur in Artº 150 C. C. N. Eodem beneficio gau-
dent etiam liberi naturales rite agniti per subsequens
ejusmodi matrimonium mutua bona fide contractum;
quamquam in aliam sententiam discedit Vir Cons. G. DIEP-
HUIS, *Ned. Burg. Regt.*, T. I. § 669.

IX.

Contractus, qui inter navis exercitorem intercedit et
magistrum, magis est locationis conductionis operarum
quam mandati.

X.

Dispositio Arti 263 Cod. Merc. Neerl. magis est ex
utilitate quam ex jure. Assecurationis enim natura non
fert, ut ea tamquam rei qualitas tacite cum dominio
transferatur. Hinc si creditor hypothecarius suo nomine
assecuraverit id, quod interest, rem obligatam sibi salvam
fore, non intelligitur assecuratio, pro extincta debiti parte,
ad dominum tacite transiisse.

XI.

Poenis gravioribus, quae ob repetitum crimen sunt
constitutae, locus non est jure nostro, si prior poena fuit
pronunciata ob delictum militare.

XII.

Qui furti rei non habentur in Art.^o 380. §. 1. Cod. Pen., eorum numero is adscribi nequit, qui bona detraxit patris matrisve naturalis parentibus. Bona ibi intelliguntur non tantum quae propria habent parentes, verum etiam quae-cunque tamquam publici ministri, aut depositarii aliove titulo possident, modo eorum rationes reddere debeant.

XIII.

Gratia, quae conceditur ad temperandum legis rigorem, damnato invito obtrudi potest.

XIV.

Cautionis usum in causis criminalibus a reo praestandae, ut carcere liberetur, merito laudavit Vir Cons. H. DE BOSCH KEMPER, in *Ned. Jaarboeken van Regtsgeleerdheid*, T. IX. p. 1. pag. 18 seqq.

XV.

Qui legitime Civitatis militiae adscriptus est, eum oportet obtemperare jussis Praefectorum, etiamsi causam non probet, pro qua armis uti jubetur.

XVI.

Juris Naturalis Disciplina neque ex hominum statu naturali, ut vulgo dicitur, neque ex Civitate est deducenda. Jus illud magis est universale, quod, sicut Ethica, intra Civitatem viget et extra.

— 175 —

XVII.

Communi jure Gentium, ut bellum justissimum sit, non necessariam esse belli inductionem, judicamus cum BYNKERSHOEKIO, *Quaest. Juris Pub.* T. I. c. 2.

XVIII.

Male statuunt, qui opificum fabrorumve peregrinorum operas conducere vetant.

XIX.

Impediendi non sunt opifices, quominus placide inter se conveniant de minimo pretio operarum a conductoribus petendo.

XX.

Egregie pronunciavit F. C. DAHLMANN, *Die Politik etc.* Part. I. §. 12. «Eine Darstellung des Staates, welche sich der historischen Grundlagen entäussert, entbehrt aller ernsten Belehrung und gehört den Phantasiespielen an.»

XXI.

Principes Belgii augendo vires urbium non tantum Nobilium auctoritati verum etiam Clericorum quam maxime obfuerunt.

1895790

200

сърдечната мъжка във видът на сърдечни
и сърдечни пропорции при всички видове
животни и човека. Известно е, че сърдечната
мъжка е във видът на кръгъл сърдечник.
Сърдечните пропорции също съдържат
такъв сърдечник, който е във видът на сърдечна
мъжка, която е във видът на сърдечник.

III. *Задълбочената мъжка*

Сърдечната мъжка е във видът на сърдечни
пропорции, която е във видът на сърдечни
и сърдечни пропорции при всички видове
животни и човека.

Сърдечната мъжка е във видът на сърдечни
и сърдечни пропорции при всички видове
животни и човека. Сърдечната мъжка е във
видът на сърдечни и сърдечни пропорции при
всички видове животни и човека. Сърдечната
мъжка е във видът на сърдечни и сърдечни
пропорции при всички видове животни и човека.

Сърдечната мъжка е във видът на сърдечни
и сърдечни пропорции при всички видове
животни и човека. Сърдечната мъжка е във
видът на сърдечни и сърдечни пропорции при
всички видове животни и човека.